

on.  
12

A. Physic. n. 1337.

Mathes. 1118. 2

CHRISTIANI  
HUGENII  
**ΚΟΣΜΟΘΕΩΡΟΣ**

SIVE

DE TERRIS COELESTIBUS,  
EARUMQUE ORNATU,

CONJECTURÆ

*Ad*

CONSTANTINUM  
HUGENIUM;

*Fratrem :*

GUILIELMO III. MAGNAE BRITANNIAE REGI,  
*A SECRETIS.*

EDITIO ALTERA.



FRANCOFURTI & LIPSIÆ.

Impensis CHRISTIANI LIEBEZEITII,  
LEOBURGI

LITERIS CHRISTIANI ALBERI PFEIFFERI.  
Anno M DCC LV

Horat. Epist. 6. lib. I.

*Hunc solem, & stellas, & decadentia certis  
Tempora momentis, sunt qui formidine nulla  
Imbuti spectent: quid censes munera terræ  
Quid maris extremos Arabas ditantis & Indos?  
Ludicra quid, plausus, & amici dona Quiritis,  
Quo spestanda modo, quo sensu credis & ore?*






# BENEVOLO LECTORI

## SALUTEM.

**L**ibellus hicce jam ad umbilicum deductus, & prælo destinatus erat, cum maximo rei literariae damno Illustrem ejus Auctorem primum morbus, dein mors occupavit. Qui tamen ut in lucem prodiret, cavit, ultima voluntate fratrem, ad quem scriptus est, rogitans, hujus ut edendi curam suscipere vellet. Cui rei Nobilissimo Viro innumeris occupationibus & peregrinationibus, utpote qui Magnæ Britannie Regi ad res Batavas à secretis esset, distracto vacare non licuit, nisi anno ferme post Auctoris obitum. Qua re, intercedente deinde etiam Typothetarum mora, factum est, ut cum editioni jam omnia pararentur, & hic Vir fato cesserit, adeoque & Parente & eo, qui post parentis obitum ejus vicem gerebat, & ad quem destinatus erat, destitutus fuerit hic Libellus. Eadem tamen, qua ab Auctore conscriptus erat ratione, eademque ad fratrem,

ixem , licet jam defunctum , inscriptio-  
 ne , ( Religio enim fuit quidquam immu-  
 tare ) prodit in publicum , non dubia spe,  
 fore , ut eruditi , sicut reliqua omnia sic &  
 ultimum hunc ejus fætum benignè accipiant .  
 Demonstrationes equidem Mathematicas  
 non invenient ubique , neque enim res pa-  
 titur , sed , quod in his rebus nihil ultra  
 desiderari jure posse videtur , verisimiles  
 & ingeniosas conjecturas . Quæ ex cœ-  
 lorum natitia deponi potuerunt , ea hic  
 videbunt ratione demonstrata ; quæ ex iis  
 non patent , ex cœlestium corporum cum  
 tellure nostra affinitate solerter conjecta .  
 Verum hujus quid sit , ex ipso Auctore com-  
 modius perspicies . Vale .





CHRISTIANI  
HUGENII  
COSMOTHEOROS

*sive*

De Terris Cœlestibus,  
earumq; Ornatu,  
CONJECTURÆ.

*Ad*

CONSTANTINUM HUGENIUM,

*Fratrem.*

LIBER I.



Ieri vix potest, Frater  
optime, si quis cum Co-  
pernico sentiat, Terramq;  
quam incolimus, è Planeta-  
rum numero unū esse exi-  
stimet, qui circa solem cir-  
cumferantur, ab eoque lucem omnem acci-  
piant; quin interdum cogitet haud à ratione  
alienum esse, ut, quemadmodum noster hic

A 3

Glo-

Globus, ita cæteri quoque isti, cultu ornatunque, ac fortasse habitatoribus non vacent. Præsertim si ad ea quoque respiciat, quæ post Copernici tempora in cœlo deprehensa sunt; Comites nempe stellarum Jovis & Saturni, Lunæ montes camposque, & alia multa; quibus non solum veritas inventi ab illo systematis, sed & similitudo ac cognatio, Terram inter & Planetarum corpora, magnoperè confirmatur. Itaque & nobis, cum prælongis Telescopiis sidera unà specularemur; quodjam per multos annos, propter occupationes tuas & continuam fere absentiam, non licuit; sæpius ea de re sermones habitos memini. Qualia vero essent, quæ in istis regionibus extarent Naturæ opera, id ne sperandum quidem esse ut unquam sciri possit, frustraque proinde quæri, certo credebamus. Neque vero aut à priscis Philosophis, aut à recentioribus quidquā ejusmodi tentatum fuisse comperi. Nam inter illos quidem, jam ab ipso Astronomiæ exortu, cum primum Sphericam esse Terræ formam intellectum est, eamque undique æthere cingi, fuere qui auderent alios esse in sideribus mundos, imo innumerabiles dicere. Postiores vero, ut Cardinalis Cusanus, Brunus, Keplerus, qui & Tychonem Braheum idem sensisse scribit, Planeti quidem incolas suos tribuerunt; Cufanushilfanus & Brunus etiam Soli, & stellis inerrantibus: nihil tamen ulterius aut hi aut illi quæde iis inquisivisse inveniuntur; neque etiam nuperus auctor

Fuisse qui Pla-netis in-colas tri-buerint, sed nihil præterea tibus: inquisivisse inveniuntur; neque etiam nuperus au-tor

Et or Gallicus dialogi ingeniosi de Mundorum  
 multitudine. Tantum fabulas quasdam de Lu-  
 nx populis nonnulli contexuerunt, animi  
 causâ, Lucianicis, quas nosti, haud multo ve-  
 risimiliores. Nam & Keplerianas his anume-  
 ro, quibus ille in somnio Astronomico ludere  
 voluit. Mihi vero, qui tot viris egregiis nequa-  
 quam me perspicaciorem esse existimo, sed eo  
 feliciorem, quod post illos tantum non o-  
 mnes, natus sim; cum ab aliquo tempore dili-  
 gentius ista meditari cœpisse, visum est non  
 prorsus obseptas esse, de rebus tam procul  
 dissipatis, inquirendi vias, sed verisimilibus con-  
 jecturis abunde materiam præberi. Quas con-  
 jecturas meas, prout sese subinde obtulerunt,  
 in adversariis annotatas, nunc in ordinem re-  
 digere, tibiique exponere volui; atque aliquid  
 etiam adjicere de Sole, stellisque inerranti-  
 bus, & mundi magnitudine, cuius particula  
 quædam minima est totius Systematis nostri  
 complexus. Et hæc quidem, pro solito tuo  
 res superas cognoscendi studio, libenter te  
 lecturum arbitror. Mihi certe scribere ea ju-  
 cundum fuit; utque sæpè aliás, ita nunc, ve-  
 lut in re ipsa, verum esse expertus sum illud  
 Archytæ; *Si quis in cælum ascendisset, naturam-*  
*que mundi & plachritudinem siderum per-*  
*spexisset, insuavemillam admirationem ei futu-*  
*ram, (quæ alioqui jucundissima fuisset) nisi al-*  
*quem cui narraret habuisset.* Utinam vero hæc  
 nostra narrare non omnibus possem, sed præ-  
 ter te lectores arbitratu meo diligere liceret,

qui nec Astronomicæ scientiæ, nec Philosophiaæ melioris rudes essent; quibus facile conatus hosce probatum iri, nec, propter novitatem, defensione opus habituros considerem. Quia vero & in imperitorum manus venturos provideo, & fortasse quorundam severiora judicia subituros, puto non abs re fore ut utrorumque reprehensiones jam hinc repellere coner.

**Ocurr-** Atque erunt quidem, qui cum Geometriæ obtriā aut Mathematicas nunquam attigerint, **jectioni-** omnino vanum ac ridiculum hoc inceptum **bus im-** nostrum censebunt. Incredibile enim iis **peritorū.** videtur, ut Siderum distantias, aut quæ sit magnitudo eorum, metiri possimus. Tum vero motum huic Terræ aut falso adscribi existimant, aut nequaquam adhuc probatum esse. Quare nihil mirum, si, quæ talibus fundamentis exstruuntur, pro somniis nugisque sint habituri. Quid vero his dicemus, nisi aliter sensuros si disciplinis istis, naturæque rerum contemplandæ, operam dedissent. Hoc vero longe plurimis non licuisse scimus, vel quod ad ea parum ingenio comparati essent, vel quod unde discerent non haberent, vel denique quod suis, aut reipublicæ curandis negotiis, alio vocarentur. Itaque nihil eos reprehendimus; sed, si diligentiam in his rebus nostram condemnandam putabunt, ad magis idoneos judices provocamus.

Erunt alii qui ea, quæ verisimilia esse ostend-

ostendere conati sumus, Sacris Literis ad- Conje-  
 versari prædicent, cum de Terris animali- ctures  
 busque, atque etiam ratione præditis, nos hasce Sa-  
 differere animadventent; de quorum origi- cris Scri-  
 ne, aut quod omnino in rerum natura ex- pturis  
 tent, nihil illic traditum sit, sed ea potius ex versari.  
 quibus contrarium sequatur. Tantum e-  
 nim de Tellure hac, cum suis animantibus,  
 herbisque, & homine omnium domino com-  
 memorari. Quibus respondeo, quod & an-  
 te me alii, satis apparere non de omnibus  
 iis, quæ Deus creavit, particulatim nos edo-  
 ceri eum voluisse. Itaque cum vel Siderum  
 vel Terræ nomine, in prima Genesi, etiam  
 Planetæ, qui præter Solem Lunamque sunt,  
 comprehendantur; atque etiam Jovis & Sa-  
 turni Comites; posse non tantum plures  
 alios utriusque generis includi, sed & res  
 innumeræ quas in superficie eorum summo  
 opifici collocare placuerit. Porro non ne-  
 scire eos quo pacto interpretandum sit, quod  
 dicitur omnia propter hominem condita es-  
 se; neque eo significari, ut à pluribus jam est  
 animadversum, tot ingentia corpora stella-  
 rum, quas partim videmus, partim nec vi-  
 dissemus quidem unquam, si Telescopio-  
 rum auxilium defuisset, nostræ utilitatis aut  
 contemplationis gratia fuisse condita; quia  
 id absurde diceretur. Quare cum operum  
 Dei magna pars extra conspectum homi-  
 num sit posita, neque ad eos pertinere vi-  
 deatur, haud alienum esse opinari, aliquos

extare, qui illa propius aspiciant & admiringentur.

Inquisi- Sed dicent fortasse, cum de his ipse su-  
tionem premus auctos nihil amplius docuerit aut  
horum revelarit, credendum esse sibi scientiam eo-  
ut nimis curiosam rum reservasse, ac proinde temere, & curiose  
repre- nimis de iis inquire. At nimium ipsos sibi  
hendi nō sumere ajo, si definire velint, quo usque ho-  
debere. mines investigando progredi debeant, dili-  
gentiæque eorum modum statuere; ac si  
terminos, quos hic Deus præscripsit, certo  
cognitos haberent; aut in hominum pote-  
state esset illos prætergredi. Et sane, si ta-  
libus scrupulis retenti fuissent qui ante nos  
vixerunt, adhuc ignorari potuisset quænam  
Telluris esset figura, aut quæ magnitudo, &  
num aliqua Americæ regio. Item an Solis  
radiis Luna illustraretur, quibusve ex causis  
aut hæc aut illa deficerent; ac pleraque alia,  
quæ Astronomorum laboribus repertisque  
accepta referimus. Quid enim tam abscon-  
ditum & inaccessum videbatur, quam quæ  
de rebus cœlestibus in aperta luce nunc po-  
sita sunt? Ex quo intelligitur industriam  
mentisque acumen hominibus data esse, qui-  
bus paulatim rerum naturalium cognitio-  
nem consequerentur, neque esse cùr conari  
desinamus & ulteriora inquirere. Attamen  
reconditiona illa, quibus hic præcipue insi-  
stimus, scimus non esse ejusmodi, ut quæ-  
rendo penitus investigari possint. Itaque  
nihil veluti certum affirmamus, (quî possi-  
mus

mus enim? ) sed conjecturis tantum agimus, quarum de verisimilitudine, suo cuique arbitratu judicare liberum sit. Quod si quis ir- Conje-  
ritam igitur, & inanem in his operam nos cturas  
ponere dicat, de rebus iis conjecturas pro- non esse  
dendo, de quibus ipsi fateamur nihil certi vanas,  
unquam comprehendendi posse: respondebo plane  
totum Physices studium, quatenus in causis certæ.  
rerum eruendis versatur, eadem ratione fo-  
re improbandum; ubi verisimilia invenisse laus  
summa est, & indagatio ipsa rerum, tum ma-  
ximarum, tum occultissimarum, habet oblectatio-  
nem. Sed verisimilium multi sunt gradus,  
alii aliis veritati propiores, in quo diligenter æstimando præcipuus judicii usus ver-  
titur.

Ut vero mihi videtur, non tantum res ad Ad sa-  
cognitionem maximas hic indagamus, sed pientiā  
quarum contemplatio studiis quoque sapien- & pietā-  
tiæ multum conducat. Expedit nimirū ut, tem fa-  
velut extra Tellurem hanc positi, procul eam cere quæ  
intueamur, quæramusque, an sola sit in quam ctantur.  
omnem ornatum natura contulerit? Ita enim  
rectius quid sit, quoque loco habenda, in-  
telligere proterimus: quemadmodum qui  
longinquas regiones obeunt, de patriæ suæ  
rebus verius jndicare solent, quam qui nun-  
quam inde se moverunt. Nec sane ille ma-  
gnopere admirabitur quæcunque hic vulgo  
maxima habentur, qui, rationibus nostris a-  
liquid tribuens, multitudinem Terrarum no-  
stræ similium, similiterque incolis suis fre-  
quentat-

quentatarum, sibi proposuerit. Deum vero, tantarum rerum effectorem, qui poterit idem non valde suspicere & venerari? cuius providentiam, sapientiamque mirabilem, passim hic assertam inveniet, contra falsas opiniones eorum, qui vel ex fortuito corporis concursu ortam esse Terram, vel omni principio eam carere dixerunt. Sed jam ad propositum.

Et quoniam maximum sumetur argumentum, ad ea quæ instituimus probanda, ex ordinatione Planetarum Copernicea, quodque inter eos Tellus hæc haud dubiè numeratur; bina schemata hic initio describo, quorum alterum orbes eorum, circa solem dispositos, continet, veris proportionibus expressos; simile illi quod in Automato nostro sæpius conspexisti: alterum rationes magnitudinum ostendit, quibus corpora Planetarum inter se, & ad Solem, comparantur; quod in eodem Automato adjectum est. In priore punctum medium Sole est; à quo deinceps, noto omnibus ordine, sunt orbitæ Mercurii, Veneris, Telluris, cum superaddita via Lunæ; tum Martis, Jovis, & Saturni: ac circa Jovem, Saturnumque circelli Comitum; illius quatuor, hujus quinque. Quos circellos, cum eo, qui Lunæ nostræ dicatus est, longe maiores hic poni sciendum, quam pro ratione ad Planetarum primiorum orbitas; ne, ob parvitatem, penitus visum effugerent. Orbitarum vero quanta re ipsa sit vastitas inde intelligere licet,

quod

Coper-  
nici sy-  
stema  
exponi-  
tur.

quod distantia à Sole ad Terram, decem vel duodecim millia Terræ diametrorum continet : de qua mensura pluribus postea agetur. Omnes porro in eodem fere plano sitæ sunt; ut proinde non multum discedant ab eo in quo Tellus circumlit, quod Eclipticæ planum vocatur. Hoc vero oblique secatur ab axe Telluris, in quo illa volvitur horis viginti quatuor, respectu solis: isque axis, nisi quod mutationem lentissimam subit, quam norunt Astronomi, sibi ipsi parallelus manet, dum ipsa circa Solem defertur; ex quo dierum noctiumque oriuntur vices, itemque temporum anni commutationes, ut passim docent eorum libri. Unde & tempora periodorum, quibus circuitus suos Planeta quisque peragit, huc transcribo. Nempe Saturni, annorum 29, dierum 174, horarum 5. Jovis annorum 11, dierum 317, horarum 15. Martis proxime dierum 687. Telluris dierum  $365\frac{1}{4}$ . Veneris dierum 224, hor. 18. Mercurii dierum 88.

Hic est ille, notissimus jam, cælestium corporum ordo, à Copernico repertus, idemque naturæ simplicitati convenientissimus. Hunc si quis conveliere aut improbare contendat; is discat primum, ex demonstracionibus Astronomorum, quanto in hac descriptione melius faciliusque omnium eorum, quæ circa motum siderum animadvertuntur, ratio reddatur, quam in Ptolemaico aut Tychoonis systemate. Cognoscat etiam, ex singu-

singulari Kepleri observatione , quomodo Planetarum , interque eos Telluris, a Sole distantia temporibus periodorum, quas retuli , certa quadam proportione respondeant; quam postea Jovis quoque & Saturni Comites , horum respectu, servare deprehensum est. Intelligat quam contra motus naturam quiddam comminiscendum sit, quo demonstretur cur stella Polaris , in extrema cauda minoris Ursæ , exiguo nunc circulo moveatur, duobus gradibus & tertia parte à Polo distans ; cum ante annos mille octingentos viginti , ætate nempe Hipparchi, duodecim gradibus , 24 scrupulis , ab eodem Polo absuerit: post aliquot verò sacula , ad 45 gradus inde recessura sit, & post annorum viginti quinque millia , eodem quo nunc est, reversura. Ut proinde cælum totum, si circumrotari dicatur, super alio atque alio axe id faciat necesse sit , quod est absurdissimum; cum in Copernici hypothesi nihil sit explicatu facilius. Denique expendat omnia illa, quibus, ad argumenta Copernico objici solita, Galileus, Gassendus , Keplerus , aliquique plurimi responderunt. Quorum rationibus ita sublati sunt qui supererant scrupuli , ut omnes nunc Astronomi , nisi tardiore sint ingenio, aut hominum imperio obnoxiam credulitatem habeant, motum Telluri, locumque inter Planetas , absque dubitatione decernant.

In altero, quod dixi, schemate , ita horum

rum globi cum Sole oculis subjiciuntur, ac si Planeta-  
juxta se positi essent. Atque hic rationem rum ma-  
diametrorum, ad Solis diametrum, eam se-  
cutus sum, quam tradidi in libro de Saturni  
Phænomenis. Nempe Annuli Saturnii eam  
quæ II. ad 37; Globi inclusi, ad eandem So-  
lis diametrum fere, quæ 5 ad 37; Jovis, quæ  
2 ad 11; Martis, quæ 1 ad 166; Telluris,  
quæ 1 ad 111; Veneris, quæ 1 ad 84; qui-  
bus nunc addo Mercurii, quæ est 1 ad 290 ex  
Hevelii observatione Anno 1661 habita;  
cum in Solis disco Mercurius conspiceretur,  
nostro tamen, non illius calculo.

Quomodo autem hæ nostræ magnitudi-  
num rationes inventæ sunt, tum ex cognita  
proportione distantiarum à Sole, tum ex  
mensura Diametrorum, Telescopiis capta,  
eo, quem dixi, libro ostendi: neque adhuc  
video cur multum, ab iis quas tunc definivi,  
recedam; etsi nihileis deesse non contende-  
rim. Nam quod multi existimant, in meti-  
endis apparentibus diametris, præstare la-  
mellis nostris usum Micrometrorum quæ vo-  
cant, quibus fila tenuissima in foco Lentis metris  
majoris prætenduntur, nondum iis assentiri præstare  
possum, sed aptiores esse lamellas virgulasve  
tenues arbitror, quas eo loco objiciendas do-  
cueram. Ex quo istud Micrometrorum in-  
ventum, itemque Telescopii ad organa A-  
stronomica adaptatio, non multo post ema-  
navit: non sine laude tamen eorum, qui in  
perficiendo tam utili invento elaborarunt.

Cate-

Solem Cæterum, in hac planetarum comparatione, notanda est ingens Solis magnitudo, Planetis cum interioribus quatuor Planetis collata; multo majorem utque hi Saturno quoque, ac Jove, longe esse.

longeque minores sint. Nam considerandum, non ordine crescere eorum corpora cum distantiis à Sole; quippe cum multo major sit Veneris, quam Martis, globus.

Tellurē His de utroque Diagrammate expositis, Planetis, nemo, ut puto, jam non videt, quam clare & hos expriore, in quo systematis est typus, sequatur, eodem genere, cum cæteris quinque Telluri recte as- Planetis, Tellurem hanc nostram contineri. similari.

Nam vel ipsi circulorum positus hoc testantur. Atqui præterea constat, telescopiorum observationibus, & globosa esse omnium corpora, itidem ut Telluris, & à Sole splendorum similiter eos mutuari. Ac denique in hoc quoque ei similes esse, quod in se ipsis circum proprios axes volvantur: quis enim de cæteris dubitet, cum in Jove & Marte hoc certo compertum sit? Sicut autem Tellus Lunam comitem habet, ita Jupiter & Saturnus suas. Quid igitur tam probabile est, cum in his tot rebus Telluri cum Planetis illis primariis intercedat similitudo, quam non minori quoque dignitate & pulchritudine eos esse, nihiloque minus ornatos cultoque: aut quænam cur hoc aliter se habeat ratio excogitari potest?

**Ex simili-** Sane si cui, in dissecti canis corpore, vi-  
**litudine** scera ostenderentur, cor, stomachus, pul-  
in his sec recte argumenta peti.  
mones,

nones, intestina; tum venæ, arteriæ, nervi; etiam si nunquam animalis corpus aperum confpexisset; vix dubitaret, quin similis quædam fabrica, ac partium varietas, in bove, porco, cæterisque bestiis inesset. Nec si unius, ex Saturni aut Jovis Comitiibus, naturam cognitam haberemus, non eadem fere quæ in illo, in cæteris quoque reperiri putaremus? Similiterque ex uno quopiam Cometa, si quidnam esset perspici posset, eandem omnium rationem esse statueremus. Itaque plurimum ponderis habet illa extimilitudine petita, & à rebus visis ad non visas producta ratio. **Quam proinde** sequentes, ex Planeta uno, quem coram aspicimus, de reliquis ejusdem generis recte conjecturam faciemus.

Ac primùm quidem, non aliter quam Planetas Tellus nostra, solido corpore eos constare existimabimus. Deinde prorsus etiam verisimile censemus, adesse globis eorum id quod gravitatem appellamus; cuius viciniora quæque, in superficie eorum hærentia, premant eam; aut, si dimoveantur, ex omni parte velut attracta recidant. **Quod ex** ipsa quoque globi forma liquet, cum hæc ex conatu corporum, ad centrum unum tendentium, generetur. Imo jam, certo quodam ratiocinio, colligere didicimus, quanto manus minusve in Jove ac Saturno, quam apud nos, gravitatis momentum esse debeat. **Qua-**

B

de

dere, deque auctore ejus, in Diatriba de Causis gravium diximus.

Nunc vero ulterius quærere pergamus, quibus gradibus ad penitiora quædam, de statu ornatuque Terrarum istarum, cognoscenda perveniri possit. Ac primùm quam verisimile sit herbas, & animalia in earum superficie existere, & que ac in Tellure nostra. Nemo negabit puto, & formam & vi-

Nec de- tam, & crescendi generandi querationem, in esse illis stirpibus animantibusque majus quid esse, animalia magisque mirandum quām corpora vitâ carentia, quantumvis mole conspicua sint; velut montes, rupes, maria. Patet etiam in utroque illo viventium genere, multo aliter longeque expressius, cerni Divinæ providentiæ intelligentiæque præstantiam. Cum enim quæ in Terra, imo quæ in Cælo quoque aspicimus, aliquis Democriti, aut etiam Cartesii sectator, ita se explanaturum profiteri possit, ut tantum atomis & motu horum indigeat; in herbis tamen & animalibus frustra erit, nec de primo eorum exortu quidquam verisimile adferet; cum nimis manifesto apparet, nunquam vago, ac fortuito corpusculorum motu, talia quædam prodire potuisse: quippe in quibus omnia ad certum finem egregie apta accommodataque cernantur; cum summa prudentia, & legum naturæ, ipsiusque Geometriæ, cognitione exquisita; quemadmodum in sequentibus sæpius ostendetur: ut jam omittamus illa in progignendo mira-

miracula. Quod si igitur in Planetis nihil aliud quam vastæ solitudines, corporaque inertia, & vita carentia reperiantur; atque absint ea in quibus clarissime certissimeque Architecti supremi sapientia elucescit; haud dubiè multum dignitate & pulchritudine concedent Telluri nostræ: quod, ut jam dixi, rationi adversatur.

Non igitur sic; sed erunt & ibi corpora quædam motu prædita, seque ipsa moventia, neque his quæ in Terra sunt ignobiliora; adeoque erunt animantia. His autem positis, jam de herbis quoque fere necessario concedendum est; ut sit aliquid quo illa alantur. Ut nec plantas. Omnia verò hæc non aliter quam in superficie Planetariorum globorum existere, dubitari non potest; cum calore Solis gaudere ac faveri debeant; cujus radiis, non secus quam Tellus nostra, expositi sint.

Sed dicet aliquis, celerius quam par est, hic nos progredi. Nam, ut non negetur res aliquas in Planetarum superficie reperi, quæ ibi crescant & moveantur, Deoque auctore, non minus quam nostra hæc, dignæ sint; longè diversam tamen earum posse esse naturam, ut nec materia, nec crescendi more, nec extrinseca forma, aut internis partibus, quidquam iis, quæ apud nos sunt, simile habeant: actalia sint denique, ut nihil ejusmodi in mentem homini venire possit. Hoc igitur jam quæramus quam sit verisimile; & annon potius credendum sit, non tan-

tam esse diversitatem quanta existimetur? Favet eorum sententiæ, qui omnia alia illic imaginantur, quod Natura videatur varietatem plerumque, & plurimis in rebus, sectari; quodque Conditoris potentia hoc ipso magis declaretur. Sed cogitare debent, non estimam in se hominum arbitrio definiendum quam magnifica sit varietas ac dissimilitudo. Neque, quia possit esse immensa, resque illæ ab intellectu, & comprehensione nostra penitus remotæ, idcirco necesse esse, ut re ipsa tales existant. Quamvis enim similia omnia iis quæ apud nos sunt, finxisset Deus in cæteris Planetis; nihilo minor esset spectatoribus eorum, si qui sunt, admiratio, quam si plurimum distarent: cum, quid in aliis effectum sit, nullo modo possint cognoscere. Potuisset in terris Americæ, aliisque longè remotis, aliqua creasse viventia, quæ his nostris nihil simile haberent; neque id fecit tamen. Nam formarum quidem diversitatem aliquam esse voluit, quibus animalia herbæque nostræ à transmarinis illis, dissiderent, sed & in his ipsis formis, inque crescendi & generandi modis, multa utrisque convenire fecit. Habent enim & illic animalia pedes, alas, atque intus cor, pulmones, intestina, vulvas; cum hæc omnia in unoquoque genere illorum, ac nostratum quoque, planè diversa ratione ordinari potuerint, ab infinitæ solertiæ opifice. Non igitur omnem varietatem quam poterat in rebus creatis, earum auctor

Etor exhibuit, nec proinde argumento illi, quod à Naturæ novandi studio petitur, tantum tribuendum est, ut omnem, qui in cæteris Planetis est, ornatum ab eo, qui in Terra nostra conspicitur, prorsus alienum putemus. At contra credibile est, inter ea quæ in superficie istorum globorum generantur, quæque apud nos sunt, præcipuam esse differentiam, quæ ex majori, minorive, eorum à Sole, caloris vitæque fonte, distantia oriantur. Propter quam tamen magis materiam, quam formam rerum, variari necesse fit.

Ad materiam vero quod attinet qualiumcunque stirpium, atque animantium, quæ Planetas exornant, et si qualis sit cogitatione assequi nequeamus, illud tamen vix dubitari potest, quin ex elemento humido, uti nostra omnia, crescant & alantur. Nihil enim alter gigni posse omnes fere Philosophi arbitrantur; & fuere inter præcipuos, qui ex aqua omnium rerum originem esse dicerent. Etenim, sicca & arida quæ sunt, motu carent: absque motu vero nihil corporibus, quo augeantur, accedere posse manifestum est. At liquidorum particulæ, & inter se continue moventur, & facile sese ubique insinuant; quo fit, ut non tantum seipfas, sed & alias diversæ naturæ, quas secum vehunt, crescentibus apponere aptæ sint. Ita enim, aquæ affluxu, & herbas adolescere, foliisque & fructibus augeri, & lapides ex arena concrescere cernimus. Itemque metalla &

B 3 crystal-

Crystallos, gemmasque incrementa inde capere satis constat, et si in his obscurius id animadvertisit, propter lentissimos progressus; quodque saepe non in iis, quibus enatæ sint, locis cavitatibusque reperiantur; per vetustis, ut videtur, Terræ ruinis convulsionibusque Aquas à disjectæ. Sed aquæ elementum à Planetis Planetis non abesse, verisimiles quoque conjecturæ suppetunt, ex telescopiorum observationibus. Apparent enim in Jove tractus quidam reliquo disco obscuriores, iisque non eadem semper forma permanentes, quod nubium proprium est. Maculæ vero, quæ immutabiliter globo ejus inhærere conspicuntur, saepe longo tempore obiectæ manent, nubibus videlicet illis interceptæ, è quibus deinde rufus emergant. Atque etiam nubes in medio Jovis disco exoriri quandoque annotatum fuit, & maculas quasdam minores existere, reliquo corpore magis lucidas, neque eas diu superesse; quas Cassinus ex nubibus esse conjectabat, cacumina montium insidentibus. Mihi non improbabile videatur, terræ regiones candidiores esse, superfuis nubibus plerumque occultatas, ac nonnunquam ab iis liberas.

Apparent, etiam in Marte, lucis & obscuritatis discrimina, ex quibus conversio ejus ad Solem, viginti quatuor horis cum 40 scrupulis primis, absolvi reperta est; nubes tamen nondum fuerunt animadversæ, idcirco quod multò minor cernitur quam Jupiter;

Aquas à disjectæ.  
Planetis non abesse.  
esse.

piter; etiam cum maximè ad Tellurem appropinquat. Præterquam quod & intensior Martis lux, utpote à propiore Sole accepta, intuentibus impedimento est. Eademque lux magis etiam obstat in Venere. Sed si Tellus ac Jupiter nubes aquasque habent, vix dubitandum est quin & in cæteris inventiantur Planetis. Nec tamen nostræ pror- Nostræ  
sus similes esse aquas istas dixerim; etsi li- tamen  
quidæ ut sint, ad usus quos præstare debent, nō pror-  
requiritur; ut verò perspicuæ, ad pulchri- sus simi-  
tudinem. Nostra enim hæc, in Jove & Sa- les.  
turno, continuo gelu astringeretur, propter magnam Solis distantiam. Itaque putan-  
dum est naturam earum, quæ in Planetis sunt, ad suam quamque regionem attempe-  
ratam esse; ut in Jove quidem ac Saturno dif-  
ficilius in glaciem vertantur, in Venere ve-  
rò, ac Mercurio, minus facile in vapores ab-  
eant. In omnibus autem attractum à Sole  
humorem, subsidere rursus, & unde venit reverti, necesse est, ne penitus aridum So-  
lum relinquatur. Non cadet autem nisi in  
guttas densatus; quod eveniet, sicuti apud nos, cum in frigidiores locum ascenderit ex inferiore calidore que ob terræ viciniam.

Habemus igitur in globis illis campos Solis radiis expositos, pluviisque aut rore ir- rigatos, in quibus si quid enascatur; ut fieri debere utilitatis & ornatus gratia diximus; id eodem quo apud nos modo fieri verifi- mile est: cum nec aliter fere, nec melius

possit. Ut nempe radicibus suis solo adhæreat, simulque harum fibris humorēm inde combibat. Neque vero satis ornatæ mihi esse terræ istæ videbuntur, nisi stirpes quasdam habeant alte excrescentes, quæque adeo arbores, aut arborum instar, fiant: quandoquidem hæ maximum, ac, præter aquas, unicūm sunt ornamentum, quod Natura terris largiri possit. Quæ quantum amœnitatis & gratiæ afferant facile unusquisque secum existimat. Ut omittam jam materiæ ex arboribus oportunissimum ad omnia usum. Porro vix aliter quoque propagari stirpes, aut perennare posse existimo, quam producendis seminibus. Cum unica fere hæc ratio videatur, eademque tam mirabilis, ut non solius Telluris nostræ gratia inventa sit. Denique nihil vetat, ut, quemadmodum in diversis hujus terræ regionibus, ita in istis quoque longè remotis, idem in iis quæ ad stirpes attinent, Natura secuta sit.

Idem &  
de ani-  
malibus  
verum  
esse.

Neque vero dispar ratio est in animalibus; cur non & pascendi, & generandi, modus similis putetur in Planetis ei qui est apud nos. Quia nempe universa terræ hujus animalia, sive quadrupedum generis, aut volucrum, aut natantia, aut reptilia, ipsaque insecta, idem naturæ præscriptum sequuntur. Vescentur enim vel herbis, fructibusque, vel ipsis animantibus, quæ inde nutrita fuere: omniumque generatio per conjunctionem maris & fœminæ, perque fecunditatem ovoidum

rum ( nam & hæc ubique animadvertisit) peragitur. Nam hoc quidem certum est, fieri non posse ut, vel herbæ, vel animantia quæ illic sunt, sine propagatione generis sui esse perseverent; quia vel fortuitis casibus interire ea ac deficere contingere; cum herbæ stirpesque humida materia constent, eoque etiam exarescere debeant; animalia mollibus flexilibusque membris, nec, ut silices, duris. Quod si in his alias nascendi vias comminiscamur, velut ex arboribus; quemadmodum diu creditum est, ex harum genere quodam in Britannia anates nasci, appareat quām id à ratione abhorreat, propter summam, quæ lignum inter carnesque est, differentiam. Velsi animalia ex limo terræ existere putemus, velut de muribus in Ægypto multi prodiderunt, quis, naturæ paulo intelligentior, non videt hoc alienum esse institutum ejus? aut quis non existimet multò magis convenire Dei magnitudini ac sapientiæ, ut semel omnis generis animantia creaverit, inque Terrarum orbem certo modo, ( quem nemo hominum adhuc divinare potuit) imposuerit, quam ut perpetuo novis ex terra producendis vacare necesse habeat? Quibus alendis, educandisque, abesset quoque prorsus parentum cura ac charitas, quam necessaria quadam ratione, omni animalium nostrorum generi, insitam, ingenitamque novimus. Sed hæc quæ ad propagationem attinent, et si fortasse aliter sese habeant, hocta-

mentationibus superius adductis satis probatum est, & stirpes & animalia in Planetarum terris inveniri, ne scilicet sint haec nostra viliores. **Quod** cum ita sit, tum quoque, ne minus, quam nostra Tellus, istæ aliæ ornatæ sint, necesse est, ut non minor sit, in utroque genere illo, quām apud nos varietas. **Quænam** vero hæc esse potest? Evidem cum, in omni animantium nostrorum genere, cogito quibus modis moveantur; omnia video eo reduci, ut vel pedibus ingrediantur binis, quaternisve; insecta senis, vel etiam centenis; vel ut in aëre volent, alarum mirabili vi & moderamine; vel sine pedibus reptent; vel flexu corporum vehementi, aut etiam pedum percussu, in aqua sibi viam aperiant. Præter hos incedendi modos, vix videtur aliud dari, aut omnino mente concipi posse. Ergo quæ in Planetis extant animantia, uno aliquo ex his utentur; aut quædam pluribus etiam, quemadmodum apud nos aves amphibiæ; quæ & pedibus incedunt, & natant in aquis, & in aëre volitant: & crocodili & hippopotami, inter terrestria, & aquatica, medii generis. Nulla autem præter hasce vita cogitari posse videtur. **Quid** enim esse posfit, in quo animantia existant, præter tellurem solidam, aut Elementum liquidum, quale aquæ nostræ, aut multo liquidius, quale aér; aut illis similia. Posset enim esse aér multò, quām apud nos densior, graviorque; eoque ad volandum accommodior, neque tamen minus

minus perspicuus. Possent etiam liquidorum plura genera, alia aliis superinducta esse. Velut si, super mare, incumbere cogitetur alia quæpiam materia, quæ decuplo levior sit aqua, centuplo gravior aëre; ac sua quidem superficie extrinsecus terminata, sed ut extra eam, terræ partes solidæ emineant. Sed non est, cur plura hujusmodi in cæteris Planetis, quam in nostro, inventi putemus, & si inveniantur, non tamen aliis modis ibi animalia moveri poterunt. Cæterum quod ad varias eorum formas attinet; cum videamus in variis terræ regionibus miram adeo ac multiplicem diversitatem; inveniriique in America quæ frustra alibi quæras; magna ratio est ut nullam eorum formarum, quæ in Planetis exstant, imaginando assequi nos posse credamus. Quanquam si omnes istos movendi modos cogitemus, quos hic recensui, nihil mirum esset non magis differre aliquod istorum animalium, à nostrate quopiam, quam nostra discrepant inter se. Ea dico quibus minimum est similitudinis.

Quam varia porro sint genera eorum in Planetis ita optimè colligemus, si ad ea quæ apud nos sunt, miramque in iis formarum diversitatem, animum advertamus. Planè enim verisimile est, non minori numero occursum, si quis ad Jovis, aut Veneris globum cominus spectandum admitteretur. Percurramus verò (nam de omnibus dicere

Ion-

Summā anima-  
lium a-  
pud nos  
varieta-  
tem esse.

longum esset ) majores nostrorum anima-  
lium differentias, vel formā, vel proprietate  
aliqua singulari notabiles; idque in terre-  
stribus, aquatibus, volucribus. Cogitemus  
quæ sit inter equum, elephantum, leonem,  
cervum, camelum, porcum, simiam, hi-  
stricum, testudinem, chamæleontem, dissi-  
militudo; quanta in aquaticis, cetum inter  
& phocam, rajam, lucium, anguillam, se-  
piam, polypum, crocodilum, pisces volan-  
tem, torpedinem, cancrum, ostream, mu-  
ricem. In avium genere quantum discri-  
men, aquilæ, struthiocameli, pavonis, cy-  
gni, noctuæ, vespertilionis. Reptilia pro  
uno tantum genere censemus. At in inse-  
ctis formicas spectemus, araneos, muscas,  
papiliones; & miram horum naturam, quod  
ex vermis volatilia evadant. In omnibus  
verò his, scimus quām magnus præterea fit  
numerus minus dissidentium.

Nec mi-  
norem in  
esse in unoquoque reliquorum Planetarum  
Planetis.

At quantuscunque sit, nihilo minorem  
norem in unoquoque reliquorum Planetarum  
Planetis. putandum est. Quamvis verò de figura  
istorum animalium frustra per conjecturas  
quæratur, tamen de vita eorum generatim  
jam aliquid assecuti videmur; & de sensibus  
erit in sequentibus quod dicamus.

Idem in  
stirpibus  
locum  
habere.

Sicuti verò animantium, ita stirpium quo-  
que & arborum nostrarum præcipuæ diffe-  
rentiæ expendi possunt. Velut quæ in abie-  
te, quercu, palma, vite, ficu; tum ea quæ nu-  
ces, Cocos dictas, generat arbore; itemque  
alia

alia apud Indos, è cuius ramis radices novæ pullulant, inque terram demittuntur. Item, in herbis, gramen, papaver, brassica, hedera, pepones, ficus Indica foliis crassis, sine caule, succrescentibus, aloë. In quibus rursus ea quam scimus, minus dissimilium est copia. Ad hæc propagandi viæ variæ inspiciantur; velut ex seminibus, nucleis, taleis, infiſione, bulbis. Quibus omnibus nihilo pauciora, aut minus miranda, in Planetarum terris reperiri, existimandum fit.

Sed quod in hac disquisitione præcipuum est, plurimamque jucunditatem habet, nondum attigisse mihi videor; quamdiu nullos in Planetis in terris illis spectatores posui, qui tot rebus creatis fruantur, pulchritudinemque, & varietatem earum, admirantur. Et video quidem, neminem fere eorum, quibus vel leviter hæc meditari contigit, dubitasse quin spectatores aliqui in Planetis collocandi sint: non quidem homines nobis similes, sed animantia tamen ratione utensia. Nempe iis visum est, qualemcumque terrarum istarum ornatum, velut frustra, nulloque fine aut consilio, fore procreaturn, si non hoc propositum fuisset, ut ab aliquo cerneretur, qui intelligere ejus elegantiam posset, fructumque simul percipere, & summi opificis admirari sapientiam. Ego vero non hoc præcipuum argumentum habeo, cur animal rationis particeps Planetas incolere existimem. Quid si enim dicamus ipsum Deum spectare quæ

tis esse  
animan-  
tia, quæ  
ratione  
utantur.

quæ effecit; / alia quidem ratione quam nos,  
sed videre eum quis dubitet qui oculos fabri-  
catus est; ) iisque delectari, neque præterea  
quidquam requiri. Nonne enim cb hoc i-  
psum & homines condidit, & quicquid conti-  
net mundus universus? Itaque quod præcipue  
memovet, ut rationabile animal in Planetis  
non deesse credam, hoc est, quod nimia Ter-  
ræ nostræ præ cæteris illis esset præstantia ac  
nobilitas, si sola animal haberet tam longe  
cæteris omnibus animalibus, nedium stirpi-  
bus præcellens; in quo ineft divinum quid-  
dam; quo cognoscit, intelligit, res innume-  
ras memoria complectitur, veri expendendi  
judicandique capax est, cuius denique gratia  
quicquid terra progenerat paratum esse vide-  
tur. Omnia enim in usus suos vertit. Li-  
gnis, lapidibus, metallis, domos exstruit;  
Avibus, piscibus, pecore & herbis vescitur;  
Aquæ & ventorum commodis ad navigan-  
dum utitur; ex florum odore pulchrisque co-  
loribus voluptatem percipit. Si nullum in  
Planetis est ejusmodi animal, quid esse que-  
at, quod tanti æstimandum sit, quove is defe-  
ctus pensetur? Pone in Jove majorem multo  
animantium varietatem; plures arbores, her-  
bas, metalla: nihil erit in omnibus his, ob  
quæ tantum dignitatis accedat isti mundo, ac  
nostro propter humani ingenii mirabilem na-  
turam. Hic si me judicium fallit, fateor me  
pretia rerum æstimare nescire.

Nec dicat aliquis, tantum malorum ac vi-  
tiorum

tiorum eidem humano generi inesse, ut me-  
rito dubitari possit, an, tale quodpiam ani-  
mal Planetariis mundis tribuendo, dignitas  
iis ornamentumque, an his contraria accessu-  
ra sint. Primum namque non impediunt Non ob-  
vitia, majori hominum parti insita, quin <sup>ii</sup> stare ho-  
qui virtutem, acrestum rationis usum se-  
stantur, tanquam pulcherrimum quid præ-  
stantissimumque censendi sint. Præterea cre-  
dibile est, ipsa illa animi vitia, magnæ ho- terræ  
minum parti, non sine summo consilio data conci-  
esse. Cum enim Dei voluntate ac providen-  
tia talis sit Tellus, ejusque incolæ, quales cer-  
nimus; absurdum enim foret existimare o-  
mnia hæc alia facta esse, quam ille voluerit,  
sciveritque futura; putandum est utique non  
frustra multiplicem adeo animorum diversi-  
tatem mortalibus esse insitam; sed malorum  
cum bonis misturam, quæque inde eveniunt  
infortunia, bella, calamitates, eo fine ac-  
cedere, ut necessitate urgente stimulosque  
admovente, ingenia excitentur, exercean-  
turque, dum quærimus ea quibus ab hostibus  
nos tutemur, quibusve machinis telisque eos  
persequamur: Utque paupertatem ac miser-  
riam depellere conantes, varias artes exqui-  
ramus, naturamque scrutemur, ex cuius  
cognitione deinde auctoris potentiam pru-  
dentiamque admirari necesse fit; quas forsan  
alias pari stupore ac bestiæ præteriissemus.  
Nec enim dubitandum est, si in continua pa-  
ce, omniumque rerum affluentia homines æ-  
tatem

tatem agerent, fieri posse ut admodum diu, non aliter fere quam bruta animalia, victuri sint; omnis scientiæ expertes, plurimumque commodorum ignari, quibus melius jucundiisque vita transfigitur. Careremus in rificia illa scribendi arte, nisi summa in commerciis bellisque necessitas eam extudisset. Huic artem navigandi, huic serendi debemus, maximamque partem cæterorum quibus fruimur inventorum; itemque naturæ arcana ferre omnia, inter experiendum reperta. Ita ea ipsa propter quæ incusanda rationis facultas videbatur, possunt dici ad perficiendam exactuendamque eam plurimum prodesse. Nam & virtutes ipsæ, fortitudo animi, & constantia, vix aliter quam in periculis rebusque adversis apparere possunt.

Quod si igitur genus animalium rationabile in cæteris Planetis esse cogitemus, quod virtutibus vitiisque fere iisdem atque homines præditum sit, id tanti esse existimandum est, ut absque iis, longè quam Tellus hæc nostra viliores futuri sint.

Nec rationem in Pla-  
netarum incolis  
à nostra diversam  
esse.  
Positis vero ejusmodi Planetarum incolis ratione utentibus, quæri adhuc potest, anne idem illic, atque apud nos, sit hoc quod rationem vocamus. Quod quidem ita esse omnino dicendum videtur, neque aliter fieri posse; sive usum rationis in his consideremus quæ ad mores & æquitatem pertinent, sive in iis quæ spectant ad principia & fundamenta scientiarum. Etenim ratio apud nos

nos est, quæ sensum justitiæ, honesti, laudis, clementiæ, gratitudinis ingenerat, mala ac bona in universum discernere docet: quæque ad hæc animum disciplinæ, multorumque inventorum capacem reddit. Exstaretne alibi diversa ab hac ratio? censereturque injustum aut scelestum in Jove aut Marte, quod apud nos justum ac præclarum habetur? Certè nec verisimile est, nec omnino possibile. Cum enim rationis, quam hic agnoscimus, ductu opus sit ad tuendam vitam ac societatem (nam & hanc apud Planeticolas reperiri ostendemus) si contraria ejus decretis statuantur, sequetur ruina ac subversio eorum, quibus ejusmodi mens perversa contigisset. At conservatio, ut videmus, rerum conditori ubique proposita est. Verum ut ut affectio-nes animi à nobis aliquatenus diversæ sint apud istos longinquarum terrarum habitatores, puta in his quæ ad amicitiam, iram, odium, honestatem, verecundiam, decorum attingent; non tamen dubitari potest, quin in veri investigandi studio, judicandis rationum consequentiis, ac præsertim in ratiociniis, quæ ad quantitatem ac magnitudinem spe-  
Etant, circa quæ Geometria versatur, (si quid habent ejusmodi, quod mox inquiremus) non, inquam, dubitari potest, quin prorsus similis sit, eademque via ingrediatur illorum ac nostra ratio; quodque apud nos verum est, idem fit in cæteris Planetis. Et si vis ac facultas in his rebus major minorve

C

illo-

illorum incolis fortasse quam nobis contigerit.

Sed jam nimis longè proiectum me esse sentio. Ante enim dispiciendum erat de sensibus corporeis istorum in Planetis agentium, quibus si carerent, vix jam aut vitam, ut animalia, fortiti esse videri possint, aut habere, in quo rationis usum exerceant. Puto autem ostendi posse probabilibus argumentis & bruta animantia, & quibus ratio inest, convenire, in his quæ ad sensus attinent, cum iis quæ terram hanc incolunt. Primūm Nec de- namque si cogitemus quid sit in animalibus esse illis videndi potestas, absque qua neque pascens. di ratio esset, nec pericula vitandi; nec denique vita alia quam talparum aut lumborum; prorsus necesse esse intelligemus, ut, ubi sunt animalia his præstantiora, ibi & visu prædicta sint. Cum nihil ad vitam vel conservandam, vel exornandam æque conducat. Quod si verò inspiciamus mirabilem lucis naturam, stupendumque artificium, quo ad eam fruendam oculi comparati sunt, facile cognoscemus, perceptionem rerum Nec vi- procul distantium, cum circumscriptione sum, formarum, discriminem intervallorum, non alio modo, quam qui ex visu sit, institui posse. Non enim potest hic sensus, imo nec aliis quisquam eorum quos novimus, existere, quam ex motu extrinsecus adveniente. Qui motus, ut alibi explicuimus, in efficiendo visu, à Sole proficitur, aut stellis in-

erran-

errantibus, aut igne; quorum particulæ cœlerrima agitatione concitæ, circumfusam cœlestem materiam continue pulsant, impelluntque; qui impulsus à proximis ad longe dissitas citissime propagetur, fere eo modo quo sonus per aërem. Absque hoc motu, materiaque ætheris qui intermedia cœli spatia complet, nec Solem nec stellas cernere possemus; neq; etiam alia quæ propiora sunt corpora; cum ab his ad nos idem ille motus repercussus pervenire debeat. Hic, oculorum sensu perceptus, lux appellatur. Inque eo sensu mirabile est ante omnia, quo pacto ad tantam subtilitatem perduci potuerit, ut minimâ cœlestis materiæ commotiunculâ afficeretur, simulq; ve qua ex parte illa oriatur perciperet. Tum qvomodo nihil sese mutuo impedianc innumeri ejusmodi pulsuum processus, sphæricæq; superficies, aliæ alias trahientes. Hæc omnia tam mira ac subtili ratione constituta sunt, ut nec minimam eorum partem hominum ingenia excogitare potuissent, cum vix etiam qvomodo sese habeant comprehendere queant. Quid enim tam mirabile, qvam particulam corporis quandam ita fabricatam esse, ut ejus opera animal sentiat procul positorum corporum figuram, positum, motum qvemlibet, distanciam; idq; ve etiam cum colorum varietate, qvo distinctius ea dignosceret. Oculi verò præter hæc artificiofissima constructio, qvæ perfectam rerum extra positarum picturam

in cava choroidis superficie imprimere apta  
est, omnem profectò admirationem superat,  
neqve est in quo manifestius Geometriæ ar-  
tem Deus exercuerit. Atq; hæc non tantum  
solertia summa inventa & fabricata sunt, sed  
& videntur esse ejusmodi, si qvis proprius at-  
tendat, ut non alia ratione perfici potuerint  
qvàm hac qvam cernimus. Nam neqve lux  
aliter, qvàm communicato motu per mate-  
riam cœlestem, res longo intervallo remotas  
sensibus nostris offerre poterat; nec oculo-  
rum artificio ullum aliud par dari ad distin-  
ctè referendas rerum imagines. Ut valde eos  
falli arbitrer, siqvi hæc eadem multis modis  
ordinari potuisse contendere audeant. Qva-  
re omnino credibile est utrumqve istud eo-  
dem modo se habere in Planetarum regio-  
nibus atqve hic; neqve aliam esse iis, qvæ  
illuc habitant animantibus, videndi ratio-  
nem. Habebunt igitur oculos; atqve etiam  
binos minimum, qvò possint rerum ante pe-  
des positarum distantias percipere, sine qvo  
vix tutò ingredi licet. Et hæc qvidem ad vi-  
tæ usum necessariò tribuenda sunt animan-  
tibus Planetarum universis fere. Qvæ verò  
ratione & mente prædita sunt, cum alias  
qvoqve ex visu utilitates capere possint, tan-  
tò magis consentaneum est ut tam præclaro  
munere donata sint. Nos enim colorum  
pulchritudinem, formarum elegantiam, ac  
concinnitatem visu percipimus; legimus,  
scribimus, cœlum & astra contemplamur,  
eorum-

eorumque cursus, magnitudinesque metimur; quæ qvatenus ad Planetarum incolas quoque pertineant, paulò post videbimus. Nunc illud prius qværamus an cæteros quoque sensus nostros iis contigisse verisimile sit. Ac de auditu quidem multa svident, ut cunctis, quæ illic sunt, animalibus eum inesse credamus. Prodest enim plurimum ad vitam à periculis tutandam; cum sonitu ac fragore sçpe imminens infortunium cognoscatur, præsertim noctu atque in tenebris, cum oculorum auxilium ereptum est. Videmus præterea ut animalia pleraque vocis sono sui similia advocent, multaque inter se significant, nobis quidem parum intellecta, sed plura fortasse quam putamus. Apud ea verò quæ ratione utiuntur, si cogitemus quam mirabilis sit vocis & auditus oportunitas, vix credibile videbitur tam utilem sensum, tantumque loquendi artificium, hujus Terræ nostræ, ac nostri tantum causa fuisse inventum. Quomodo enim illis non multum desit ad vitæ commoda, & felicitatem nostræ similem, qui tanto beneficio carent: aut quanam alia re pensari hoc possit? Qvod si porro consideremus, quam pulchre, quamque industrie natura hoc effecerit, ut idem ille aëris, cuius respiratione vivimus, cuius flatu navigamus, qui, ut volare queant, avibus præstat; ut, inquam, idem ille ad exprimentum proferendumque sonum comparatus

C 3

sit;

fit; sonus verò ad formandum , auribusq;  
ingerendum sermonem ; vix credemus in-  
signem hunc aëris usum, in terris istis lon-  
**Nee per** ginqvis eam neglexisse ? Esse enim illic  
quem so- aërem qvi terris incumbat, vix dubitari  
nus per- potest, cum nubes in Jove apparere dixe-  
feratur rimus. Sicut enim hæ ex aquæ guttulis mi-  
nimis constant, ita ex particulis aquæ seor-  
sim volitantibus magna ex parte formatur  
aër ille qvì proprius terram circundat. Quem  
Planetarum globis adesse etiam hoc svadet,  
qvod respirandi ratio, qva vita sustentatur  
omnium qvæ hic habemus animantium, vi-  
detur omnino ex universalioribus illis na-  
turæ institutis esse , velut nutriti ex fructi-  
bus terræ.

**Necta-** De sensibus autem reliquis animalium ut  
**cum.** dicere pergam, eum sanè qui ex tactu oritur,  
necessitate summa datum esse apparet omni-  
bus iis quæ molli flexilique pellē teguntur,  
quod à lædentibus caveant refugiantque; cum  
absque eo vulnera, plagas, contusionesque  
crebras acceptura fuerint. In quo tam pro-  
vida natura fuit, ut, ne minimam quidem pel-  
lis particulam, doloris sensu vacare voluerit.  
Itaque hanc facultatem , tam necessariam ad  
conservandam animalium incolumentem,  
omnino credibile est etiam planetas inhabi-  
tantibus inditam esse.

**Nec odo-** Odoratum vero ac gustum quis non videt  
**ratum,** necessaria esse paucitibus, quo conducibilia  
**nec gu-** anoxiis, nihilve profuturis dignoscant. I-  
**taum.** Itaque

taque si herbis, seminibus, aut fortasse car-  
nibus quoque in regionibus istis animalia a-  
lantur; etiam his sensibus, tam ad cavendum,  
appetendumque necessariis, credibile est ea  
non destitui.

Scio à nonnullis fuisse quæsumum, an non  
alii præter eos quinque quos diximus, natu-  
râdari potuerint. Quod quidem si conce-  
datur, forsitan dubitandum sit animalium pla-  
netariorum sensus longè alios esse ac nostra-  
tium. Nec sanè obstare quidquam videtur  
quo minus alii extare possint percipiendi  
modi: attamen cum perpendimus ad quos Nee ho-  
vitæ usus unusqvisqve eorum, qvos habe-  
mus, comparati sint; non videtur saltem ali-  
us qvisqva necessarius adjungi potuisse. <sup>sensus longius</sup> ge alios  
Nempe effecit providentia ut & propinqva, <sup>esse ac</sup>  
& longius remota, qvalia essent oculis senti-  
remus. Rursus ut non visa, sive a tergo,  
sive in tenebris, auditus exciperet. Item ut  
qvæ nec oculi nec aures adesse nunciarent,  
alius tamen sensus qvi in naribus est præsen-  
tiret, idqve in canibus mirabili ut scimus sub-  
tilitate. Postremo effecit ut qvæ qvatuor  
istos sensus effugerent, qvð minus in corpus  
impacta nocere possint, tactu perciperentur.  
Ita omnibus modis saluti conservationiqve a-  
nimalium consuluit, nec qvidquam amplius  
addi aut defiderari posse videtur; ut proinde  
planetarum incolis vix aliud nisi superfluum  
larginura fuerit.

Cum autem ex singulis sensibus, præter

C. 4

utili-

utilitatem, voluptas aliqua ad homines per-  
veniat; velut ex gustatu in cibis; ex odoratu  
in floribus & aromatis; ex visu in contem-  
planda pulchritudine formarum, & colorum;  
ex auditu harmonicorum sonorum; ex tactu  
in rebus venereis, (nisi peculiaris quidam  
sensus hic dicendus est) animalibus verò cæ-  
teris ex quibusdam horum; nonne dicemus  
hæc naturæ munera fere eodem modo reli-  
quorum Planetarum incolis distributa. Cer-  
te id quidem ratio postulare videtur. Sive  
voluptas enim cogitemus, quanto in universum, pro-  
tem ex iis pter hæc, jucundior feliciorque vita reddatur,  
ortam.

non debemus maximum ejus bonum nostræ  
Telluris habitatoribus adscribere, cæteras te-  
nentibus denegare, quasi res nostræ rebus il-  
lorum multo præferendæ sint. Sive ad volu-  
ptates, quæ in cibis capiendis, & in conju-  
ctione utriusque sexus contingunt, attenda-  
mus; intelligemus hæc esse necessaria quæ-  
dam veluti providæ naturæ jussa, tacite co-  
gentis ad conservandum, propagandumque  
animantium genus: veletiam, in bestiis qui-  
dem, fortasse genus ipsum propagari, ut  
utraque illa jucunditate fruatur, ut proinde,  
utroque nomine, in cæteris Planetis eadem  
reperi consentaneum sit. Evidem cum hæc  
omnia quanti sint, quantamque utilitatem  
habeant, considero; quamque admirabile  
fit, tale quid, quale est voluptas, in rerum  
natura existere; omnino adducor ut credam,  
non soli Telluri nostræ, quæ de minoribus  
plane-

planetis unus est, rem tantam obtigisse. Et hæc quidem de voluptatibus iis quæ sensus corporeos afficiunt, rationis facultatem aut nihil, aut leviter tantum. Sunt autem homini, præter istas, aliæ quoque; quæ mente tantum, & rationis sensu percipiuntur; aliæ cum lætitia conjunctæ; aliæ feriæ, neque ideo minoris faciendæ; velut quæ ex oblectatione scientiarum, inventorum, verique cognitione oriuntur; de quibus omnibus, an ad aliorum quoque planetarum incolas pertineant, in sequentibus dicendi locus erit.

Supersunt alia nunc expendenda quæ in terris illis similia esse rebus nostris verisimile sit. De Elementis terræ, aeris, & aquæ, videntimus jam quām probabile sit ea in Planetis cæteris non deesse. Videamus & deigne, qui apud nos quidem non tam Elementum esse dicendus est, quam motus quidam concitissimus particularum à certis corporibus abreptarum. Hoc verd, quidquid est, etiam Planetarum incolis datum esse, multa sunt quæ verisimiliter probent. Primum quod non Ignem tam in Terra hac, quām in Sole, ignis sedes collocata videatur; ac sicut, calore solis, herbae & animantia hic crescunt ac foventur, ita quoque haud dubie in cæteris fiat Planetis. Cum autem intensior calor ignem generet, credibile est illic quoque, ac præfertim in solidi propinquioribus, eosdem aut majoris caloris gradus existere, eorumque vi ignem. Deinde videmus quam multis modis excite-

C 5 tur,

tur, velut colligendis solis radiis, repercuſſu  
pelvium aut ſpeculorum; ferri & ſilicis colli-  
fione; lignorum attritu mutuo; herbæ non  
bene ſiccæ congeſtis acervis; ex fulmine; ex  
montium terræqve ſulphureæ incendiis.  
Qvare mirum eſſet, non aliquid ex iſtis omni-  
bus, in Planetarum terris, eum accendi. Co-  
gitemus deinde qvanta apud nos ſit ignis u-  
tilitas, qvantaqve neceſſitas. Hujus enim  
beneficio frigoris incommoda depellimus in  
iis regionibus, ubi calor ſolis minus viget  
propter radiorum obliqvitatem, atqve ita  
efficimus ne magna Terrarum pars inculta in-  
habitataqve maneat; qvod in omnibus Plane-  
tarum globis, ſive æſtatis hyemisqve vicifſitu-  
dines ſentiant, ſive perpetuo fruantur æqui-  
noctio, æqve neceſſarium eſt remedium;  
qvoniam & in his, loca polis viciniora, pa-  
rum juvari ſolis calore certum eſt. Eodem  
igne nocti lucem inducimus, diemqve velut  
alterum creamus, qvo non parum temporis  
vitæ adjicitur. Itaqve ob hæc omnia prorsus  
veriſimile eſt tanta re non ſolos Telluris in-  
colas frui, ſed omnibus Planetis communi-  
ter eſſe confeſſam.

Porro qværi potest de animalibus, tam  
ratione utentibus quam brutis; atque et-  
iam de stirpibus arboribusqve; an, qvæ  
Magni- iſthic naſcuntur, noſtris magnitudine re-  
tudinem ſpondeant? Nam fi hæc iſforū globo-  
corporū rum mole natura metiatur, eſſent in Jove ac  
in Plane- Satur-  
tis exi-  
ſtentium ex Planetarum magnitudine non recte conjici.

Saturno animalia quædam decies aut quindecies altiora Elephantis, aut tantundem longitudine balænas nostras superantia. Tum illa quæ ratione prædita sunt, gigantum corpora haberent nostris comparata. Qva quidem in re nihil video quod vel mirum sit, vel fieri nequeat. Nulla tamen ratione cogimur ut re ipsa id ita esse credamus; quandoquidem in multis rebus apparet non iis mensuræ regulis naturam se obstrinxisse quæ nostra opinione convenientiores videbantur. Veluti quod ipsorum globorum Planetariorum moles nequaquam pro distantia eorum à Sole constituta sit, cum Mars manifesto minor sit Venere, et si remotior: cumque conversio Jovis, super axe suo, 10 horis peragatur; Telluris verò, tanto minoris, impendat horas 24. Posset verò dubitari, cum proportionem in his ita negligat Natura, an non fortasse pumiliones quidam sint incolæ Planetarum, aut ranis muribusve non majores? Sed ostendam postea cur id nequaquam consenteum putandum sit.

Aliud quoque dubium exoriri posset, utrum genus unum tantum animalium quæ rationem fortita sint, an plura in Planetis singulis reperiantur, & num dispari rationis vi? Ac profecto tale quid in Terra hac nostra contigisse cernimus. Non de iis nunc dico quæ figuram hominum præferrunt; (et si de his quoque id non absurde dici

dici possit ) sed si qvorundam è bestiarum genere, sensum intellectumque spectemus; veluti canum, simiarum, castorum, elephan-

In Plane- torum; imo & avium qvarundam , & apit-  
Terra tis ut in cularum, ea talia sunt, ut neqvaqvam so-  
varia es- lum genus hominum rationis particeps di-  
seanima- cendum videatur. Apparet enim qvoddam  
lia qvi- hujus instar in istis omnibus , qvod, absqve  
bus ratio ulla institutione aut experientia, iis inesse  
compe- deprehenditur.  
tat.

Attamen dubitari neqvit qvin longè

Et inter præcellat hominum intelligentia & inge-  
eaHomi- nium, qvippe innumeris rebus aptum, con-  
nibus si- filii ad futura capax , præteriorum memo-  
milia. ria infinita præditum. Qvod ingens præ-

stantiæ discrimen si perpendamus , crede-  
mus non sine ratione , in cæteris qvoqve  
planetis , unum qvoddam genus prætulisse  
naturam; atqve eo magis, qvod si plura fo-  
rent eadem ingenii sagacitate , possent no-  
cere sibi invicem , ac de possessionibus &  
imperio inter se contendere ; qvod nunc  
qvoqve faciunt nimis frequenter , licet u-  
nius generis sint, qvæ in Terra hac domi-  
nantur. Verum hæc utcunqve se habeant,  
de iis nunc agamus terrarum istarum ani-  
malibus, qvæ maximè cæteris ratione ante-  
cellunt ; qværamusqve, an sciri possit, quibus  
in rebus ejus usum impendant, & an ha-  
beant etiam artes scientiasqve suas , velut  
nos in hoc nostro planeta ? Qvod quidem,  
inter ea qvæ ad naturam eorum attinent,

præ-

præcipuè expendi meretur. Sed, qvo me-  
lius id fiat, paulò altius exordiendum est, vi-  
taq; & studia hominum attentius inspicienda.

Ac videtur qvidem qvatenus providendis  
procurandisq; rebus tantum necessariis ho-  
mines intenti sunt, ut nempe ab aëris injuriis  
tuti habitent; ut mœnibus inclusi ab inimicis  
sibi caveant, ut leges condant ad secure ac  
tranqville vivendum; ut liberos educent; vi-  
ctum illis, sibiq; parent; in his omnibus in-  
qvam nihil magnum admodum habere vide-  
tur rationis nostræ usus, cujus causa nos bru-  
tis animantibus anteferamus. Namq; hæc  
pleraq; istorum facilius simpliciusq; effi-  
ciunt; aliq; vibus nihil opus habent. Qvin  
imo & virtutis, justitiæq; sensus propter  
qvem paulo ante excellere mentem humanam  
dicebamus; itemq; amicitiæ, gratitudinis,  
honesti; qvid aliud efficiunt, nisi ut vel vitiis  
hominum obsistatur, vel vita tranqilla &  
mutuarum injuriarum expers præstetur;  
qvod bestiis sponte ac naturæ ductu contigit.  
Jam si curas multiplices, animi ægritudines,  
concupiscentiam, mortis metum, qvæ o-  
mnia rationem illam nostram comitantur, an-  
te oculos ponamus; eaq; cum vita parabili,  
quieta & innocua bestiarum compatemus;  
videri possint harum plurimæ, ac præsertim ex  
avium genere, jucundius agere, & meliore  
qvam homines sorte frui. Nam qvod ad vo-  
luptates corporis attinet, haud dubie iis æque  
ac nos afficiuntur, qvicq; id contradicant no-

Huma- vi qvidam philosophi; qvis sensum omnem ita  
 nam ra- auferunt reliqvis præter hominem animanti-  
 tionem bus, ut pro meritis automatis aut neurospastis  
 præ illa ea haberi velint; qvorum absurdæ, crudeli-  
 brutorū präcipue qve sententiæ, miror qvenqvam accedere  
 eminere posse; præsertim cum & voce & verberibus  
 in con- fugiendis, & re omni contrarium bestiæ ipsæ  
 templatione na- significant. Imo vix dubito, qvin miro pul-  
 turæ. chroqve illo per aère lapsu aves sese delecta-  
     ri sentiant; magis etiam sensuræ si intellige-  
     rent qvantopere lentus ac humilis noster in-  
     cessus ipsarum perniciitate, sublimiique vola-  
     tu superetur. Quid igitur est in qvo potissi-  
     mum eminet humanæ rationis usus, facitqve  
     ut antecellamus cæteris animantibus? Nihil  
     æqvè puto ac contemplatio naturæ, Deiqve  
     operum; tum cultura scientiarum, qvibus  
     conseqvimur ut eorum præstantiam, magni-  
     tudinemqve aliqua ex parte cognoscamus.  
     Absqve enim disciplinis qvid esset contem-  
     platio? qvamqve multum interest inter eos  
     qui Solis pulchritudinem, utilitatemqve, &  
     Cœlum sideribus ornatum otiose intuentur,  
     aliosqve doctiores qui cursus istorum omni-  
     um scrutantur: qvomodo affixa, qvæ dicun-  
     tur, stellæ à Vagis differant, qvæqve causa sit  
     diversarum anni tempestatum intelligunt:  
     qui deniqve subtili ratiocinio magnitudinem  
     Solis ac Planetarum, simulqve distantiam eo-  
     rum metiuntur; qvantumqve item inter eos  
     qui animalium varios motus agilitatemqve  
     mirantur, & hos qvifabricam omnium mem-  
     bro-

brorum , artificiosissimamque compagem , architecturamque in iis speculantur ? Qvod si igitur Planetæ reliqui dignitate non cedunt Telluri nostræ , ut in superioribus principii fundamentique loco posuimus ; oportet ibi animalia existere , quæ non solum naturæ opera spectent & admirantur , sed quorum ratio in examinandis , intelligendisqve iis occupetur , nec minora quam nos consecuta sit . Itaque non tantum sidera intuentur , sed & Astronomiæ scientiam excolunt ; neque aliud planetarum obstat quo minus hoc verisimile credamus , quam superba illa nostrarum rerum æstimatione , quæ difficulter sane deponitur . Scio tandem & inter men futuros , qui dicant nimis audacter nos eas , Astrista Planetarum incolis tribuere : multorum stronomiam . qvippe verisimilium accumulatione huc esse perventum ; quorum si unum quodpiam contra se habeat , quam positum sit , cadat , velut in vitiosa ædificatione , omne quod superstruximus . Sed scire eos velim , hoc quod de Astronomiæ studio diximus , omissis ferè omnibus haec tenus adductis confirmari potuisse , atque inde initium fieri . Postquam enim positum fuit Terram hanc inter Planetas esse habendam , neque iis dignitate aut ornatui præferendam ; quis dicere audeat in ea sola reperiri , qui spectaculo Naturæ , quod unum pulcherrimum ac magnificentissimum est , fruantur ? aut inter eos quibus hoc contigit , nos unos esse quibus cœli arcana penitus perfectiusque perspe-

cta

avp

Et a sint? Ecce igitur & hac breviore via comprobata in Planetis Astronomiæ cognitione, ex qua & animal rationis compos, & pleraque alia quæ præcessere, illis inesse conseqvebatur. Adeo ut, ad priora confirmanda, hæc quoque novissima argumentatio conducat. Qvò vero magis probabile fiat, saltem in superioribus Planetis, Jove ac Saturno, Astronomiæ notitiam non deesse, considerandum est, quod si homines adsidera observanda impulit, ut credi pareat, admiratio & pavor in defectibus Solis & Lunæ; multo magis, in utroqve hoc Planeta, ea ratio valere debuit, propter cotidianas fere Lunarum, crebrasqve Solis, quæ illic continent, eclipses. Ut si quis æqvè ignorare ponatur quid rerum in Planetis omnibus geratur, multo verisimilius dicturus sit Astronomiam in majoribus illis duobus, qvam in hoc nostro, vigere.

Posita autem apud Planeticolas hujus scientiæ cognitione & usu, quam multa hinc præterea consequuntur quæ de vita statuqve eorum reliquo, præter jam dicta, novas conjecturas afferant?

Primùm enim nulla observatio siderum, Et quæ ad motus eorum investigandos, absqve organi instrumenti potest; sive ea è metallo, sive è ligno aliave solida materia fabricata sint. Quod ut fiat, nec fabrorum instrumento, ferra, ascia, dolabra, malleo, lima, carere possunt; neqve hæc habere absqve usu ferri aut æqve

æque duri cujuspiam metalli. Sed & circu- Ut &  
 li arcus in partes æqvales divisi, aut līneæ re- Geome-  
 Etæ in inæqvales, in istis organis requiruntur. triam, A-  
 Atqve hicjam Geometriæ & numerorum ra- rithme-  
 tio arcessenda est. Sed ante ommia qvoqve ticam.  
 necesse est ut observationum memoria ad po-  
 steros transmittatur; ut tempora & Epochæ  
 annotentur; qvæ sine scripto non videntur  
 explicari posse. Oportet igitur ut & suam Et scri-  
 scribendi artem habeant, multum fortasse bendi ar-  
 dissimilem nostræ, qva fere omnes populi tem.  
 utuntur, sed qvæ vix ingeniosior, aut ad di-  
 scendum faciliore esse queat. Qvis enim non  
 videt longe eam præferendam esse Sinarum  
 innumeris characteribus, multoqve magis  
 funiculorum nodis, aut pictis imaginibus,  
 qvæ apud Barbaros Mexicanos Peruvianosq; in usu erant. Omnium qvidem Regionum  
 homines aliquam scribendi, aut qvoqvo mo-  
 do annotandi, artem qvæsiuisse videmus:  
 qvð minus mirum sit, si & Planetarum in-  
 colæ, necessitate coacti, eam repererint, ac de-  
 inde ad Astronomiæ aliarumque disciplina-  
 rum studia adhibuerint. Necessitas verð  
 scripturæ in rebus Astronomicis etiam ea re-  
 cognoscitur, qvod cum hypothesibus variis,  
 siderum motus, qvasi divinandi sint; eæqve  
 hypotheses priores in sequentibus corri-  
 gendæ, prout observatis & Geometriæ ratio-  
 ciniis vitia earum coarguuntur; nihil ho-  
 rum posteris tradi potest, nisi literis con-  
 signatum, figurisque expositum.

D

Post-

Postquam verò omnia hæc jam iis concesserimus, longe etiamnum præstantior perfectiorque apud nos erit siderum scientia; vel propter agnitam systematis universi verissimam formam, vel propter usum telescopiorum, quibus Planetarum corpora, magnitudinesque & varias formas intuemur; su-

Opti- perficie lunaris montes, montiumque um-  
cam. bras; stellarum ingentem multitudinem, aliaque plura non alias videnda, percipimus. Ut ferè necesse sit, nisi rursus nobis tanquam hac parte felioribus blandiri volumus, etiam illam cognitionis rerum cœlestium summationem Planeticolis tribuere; itemq; videndi aciem, quæ vel nostram longe exuperet, vel lentium vitrearum, aut speculorum adminiculo sicut nostra, adjuvetur. Qvod tamen dicere vereor, ne quis, ex hoc uno audacius asserto, cætera omnia æstimanda putet, ac risu digna clamitet.

At non sine ratione, ut videtur, objicit quispam, Planetarios nostros fortasse omni subtiliore scientia destitui, quemadmodum Americanæ Gentes, priusquam ad illas Europæ penetraffsent. Quas si respicimus, itemque in Africa, Asiaque permultas & que Barbaras, videbitur hoctantum summo opifici propositum fuisse, ut vitâ fruantur homines, naturæque bonis & voluptatibus contenti sint, grato animo omnium datum colentes; scientiarum verò inquisitionem præter naturam paucos aliquos affestasse.

Etasse. Talia verò dicentibus non deest quod responderi possit. Prævidit enim certè Deus hominum ingenia eo esse processura, ut res cœlestes scrutarentur; ut artes vitæ utiles reperirent; maria quoque navigarent, metallū effoderent. Possetne enim horum quidquam præter mentem infinitæ illius intelligentiæ contingere? Quod si prævidit, etiam hominum generi ea destinata sunt, nec poterunt artium & doctrinarum studia, quas præter naturam essent, existimari, quæ in ipsa natura indaganda occupantur. Præsertim cum tanta illa cupiditas amorque sciendi non possint censeri frustra hominum animis infixæ esse. Instabunt verò rursus dicentes, de fiderali scientia potissimum, si ad hanc quoque homines nati sunt, cur tam pauci ad eam attendunt? Primum enim ex quatuor Orbis partibus, sola fere est Europa, in qua Astronomiæ studia excolantur. Nam Astrologiam divinatricem futurorum, quæ non scientia, sed miserum quoddem ac sæpe noxiū delirium est, ne nominandam quidem hic arbitror. At in Europæ Nationibus non unus è centum millibus hæc studia amplectitur aut addiscere curat. Tum ad tempus quod attinet, multa sæcula effluxisse dicent, antequam aut Astronomiæ, aut Geometriæ, sine qua illa dici non potest, ultra rudimenta innotescerent. Sciri enim quo tempore in Ægypto & Græcia primum exortæ fuerint. Ac recte quoque adjacent

D 2                      non

non adhuc octoginta annos præteriisse, ex qvo verus ac simplex Planetarum motus, rejectis Epicyclorum figmentis, repertus fit; atque ita demum Astronomia cum naturæ cognitione conjuncta. Hisce ut occurratur, addam ad superius responsum, qvod à divina providentia petebatur, dubitari non posse, qvin ea conditione homines nati sint, ut multo temporis decursu paulatim artes disciplinasqve eruant; nullam enim harum iis ingenitam esse, aut subito à Deo infusam, & has de quibus nunc agimus, omnium esse difficillimas remotissimasqve: ut magis mirum sit unquam incipere eas potuisse, qvam tam tarde fuisse inspectas. Pauci fateor singulis ætatibus has curant, aut ad se pertinere existimant: sed si multorum sæculorum tempora cogitentur, non exiguis fiet illorum Numerus; qvos, qvemadmodum sibi videntur, reliqvis beatiores esse qvis negaverit? Denique paucorum industria in his rebus exerceri satis erat, cum inventorum utilitas ad Nationes totas Gentesqve longe porrigitur. Cum igitur hujus Terræ incolis, et si paucis tantum, ad ea percipienda ingenium & aptitudo contigerit; nihiloqve putandi sint cæterorum planetarum habitatoribus præstantiores felioresve; manet profecto, qvam inveneramus, verisimilitudo, ut etiam apud illos reperiantur qui cognitione Astronomiæ non careant. Nunc ad alia pergamus qvæ inde conseqvi, necesse est.

Osten-

Ostendimus qvomodo unà cum hac scien-  
tia , non solum Geometria & Arithmetica,  
sed & Mechanicæ artes, instrumenta qve inco-  
lis Planetarum concedenda sint. Hic verò  
jam sponte obvenit ut qværamus, qvo pacto  
instrumentis illis, Machinisqve, & ad sidera  
observanda organis uti possint, aut qvomodo  
literas ducere ; qvæ omnia nos manuum ope-  
ra exeqvimur. Itaqve necessario & manus  
habebunt, vel aliud qvodpiam , qvod vicem  
earum fungi possit , membrum. In qvibus <sup>Planetis</sup>  
hominum generi tantum esse præsidii existi- <sup>colas</sup>  
mabat è veteribus Philosophis qvidam, ut in <sup>manus</sup>  
iis causam reponeret omnis eorum sapientiæ. <sup>habere.</sup>  
Qui, ut puto, hoc sensit , absqve manuum o-  
pera homines ad cultum animi , rerumqve  
cognitionem non fuisse peventuros. Et ve-  
re qvidem ille. Finge enim pro manibus da-  
tas fuisse ungulas, ut equis & bovis; nun-  
qvam nec oppida nec domos , licet ratione  
instructi, ædificassent. Nihil de qvo loqve-  
rentur habuissent, nisi de iis qvæ ad pabulum,  
aut ad conjugium, aut sui tutelam attinarent.  
Omni scientia, omniqve rerum memoria ca-  
ruissent: Deniqve à bestiis parum abfuissent.  
Qvodnam porro instrumentum æqve ac-  
commodatum ac manus esse possit ad innu-  
mera illa ad qvæ nobis usui sunt, obeunda?  
Elephantи proboscide mirabiliter utuntur,  
qva & amplecti qvidvis & projicere, minutis  
oraqve qvævis è solo tollere norunt : unde &  
manus eorum pars illa dicta est , cum reipsa

sit in longum productus nasus. Rostro quoque aves plerisque venidos exstruunt, alimentaque congerunt. Sed harum nihile est quod non manuum oportunitati longè concedat. Et est sane, tam illarum quam brachiorum, mirabilis quædam machinatio; ut protendi, reduci, inquit omnem partem moveri possint. Tum mirâ industriâ instituti digitorum ac pollicis articuli, ut nervorum attrahantur. Quælibet prehendant, firmiterque continent. Ut omittam sensum illum, in extremis digitis, exquisitissimæ subtilitatis; quod vel in tenebris pleraque corpora internosciimus. Patet itaque aut manus brachiaque, aut aliud quid eorum loco, quod vix æquaque aptum excogitari potest, Planetarum populis datum esse, ne non solum nobis, sed & simiarum & sciurorum generi, plus induluisse hac in re natura existimetur.

**E**t pedes, De pedibus vero minus etiam dubitabitur, si repetamus ea quæ supra differuimus de vario animalium incessu, quin non videtur aliis modis, quam quos ibi recensuimus, cogitari posse. Inter eos vero non est, quicquam bene Planeticolis ratione præditis conveniat, quam quod & nos utamur. Nisi forte & volandi facultatem in aliquibus Globorum istorum accepterunt. Quid minus probabile tamen propter vitam in societate degendam, de qua postea dicemus.

**E**rectos Non caret autem verisimilitudine, erectos oculos, oculos, vultumque ad fidera contemplanda vultumque;

ii

iis contigisse, qvandoqvidem hoc in hominum corpore providentiâ divinâ sic institutum videtur, & à Philosophis merito celebrati solet. De reliqvorum vero membrorum positu, si sapientiam artificis laude dignam censemus, qvod oculos in suprema corporis parte collocaverit; fordidiora vero membra Necta procul inde, atqve à conspectu qvodammodo men hinc removerit; nonne putandum est eadem fere sequi co-observasse illum in formandis istorum procul habitantium corporibus? Nec enim propterea dicimus figuram nostræ similem iis tribuisse. Est enim infinita qvædam animo concipienda formarum possibilium varietas, qva & singulæ qvæque partes istorum corporum à nostris differre queant, & totorum exterior interiorque œconomia. Cernimus qvam aptè & commodè animalium nostrorum qvædam lana aut pilis vestiantur; alia elegantius etiam plumis pennisqve. Quidni isti in Planetis, qvos rationis participes diximus, aliquā simili ratione tecti sint? propter qvod meliori qvidem conditione bestiæ, qvam homines, apud nos esse videntur. Nisi hoceo fine sic constitutum fuit, ut ipsa nuditas necessitatem hominibus imponeret qværendi ac fabricandi varia operimentorum genera, atqve hinc etiam ingenii exercendi materia existeret. Et appareat sane, ex hac necessitate, non minimam commerciorum, artificiorumqve mechanicorum occasionem nasci. Sed & propterea forsan nudos homines natura produ-

xit, ut pro arbitrio suo tenuius densiusve amiciti incedere possint; atque ita ad quasvis terrarum oras inhabitandas sece componere. Alia vero major hac, quam diximus, differentia intelligi posset inter corpora Planetariorum ac nostra; cum animalia quædam ita à natura formata reperiantur, ut veluti ossa extrinsecus habeant, carnes introrsum, atque ossibus inclusas, qualia sunt cancri, astaci que, & fere etiam testudines. Attamen hanc membrorum compagem, & in paucis vilioribus tantum illa secuta est, & Planetarum incolis, quo minus eam tribuam, facit, quod subtili varioque digitorum usu carituri essent, quo tam valde eos opus habere ostensum fuit: nam absurdas specie non multum alioqui moverer.

**Quo mi-** Etenim omnino cavendum est ab errore **nus ani-** vulgi, cum animum rationis capacem non amus ra- lio incorpore, quam nostris simili habitare tionis ca- posse sibi persuadet. Ex quo factum est, ut pax etiā alii for- populi penè omnes, atque etiam Philosophi mæinha- qvidam, humanam formam Diis adscripferint; bitet, ni- Imo ut, à simili persuasione, cuidam Christi- hil impe- anorum sectæ nomen inditum fuerit. Hoc dire.

vero non nisi ab hominum imbecillitate & præjudicata opinione profici sci quis non videt? ut illud quoque, quod eximia quædam pulchritudo humani corporis esse putatur: cum tamen ab opinione & assuetudine id totum quoque pendeat, affectuque eo, quem cunctis animalibus natura provida ingeneravit;

vit; ut sui similibus maxime caperentur. Illa verò tantum possunt, ut non sine horrore aliquo animal homini multum disimile conspectum iri credam, in quo rationis & sermonis usus reperiatur. Nam si tale solummodo fingamus aut pingamus, quod, cætera homini simile, collum quadruplo longius habeat, vel oculos rotundos duploque amplius distantes; continuo cæ figuræ nascuntur, quas non possimus intuentes non aversari, quamvis ratio deformitatis nulla reddi queat.

Dixi in superioribus cum de magnitudine agerem incolarum qui in Planetis sunt, colas novis verisimile videri non esse eos valde exiguos nobiscum comparatos. Svatdet enim hoc primò, quod probabile sit, sicut corpora hominum se habent ad Telluris magnitudinem, ut peragrare universam possint, atque ita formam molemque ejus cognoscere; eodem modo & in cæteris Planetis incolisque eorum rationalibus ordinatum esse; nisi hac in re, quæ sane magna est, nos ipsis rursus præferre velimus. Deinde cum siderum scientiam & observationes apud eos exerceri ostenderimus, sequitur ut & corpora naëti sint lignis metallisque tractandis, inque instrumenta machinasque adaptandis, idonea. Quæ & eo præstabiliora sunt quod ampliora. Ac sane si homunciones quosdam, muribus non maiores, cogitemus, non possent ii siderum animadversiones, quales requiruntur, instituere; nec instrumenta ad

D 5                    eas

eas parare , aut disponere. Itaque omnino vel æquales nobis ponendos esse existimo , vel maiores, ac præsertim in Jove, Saturno- que, quorum Globitanto Tellurem nostram superant.

Porro quia, ut diximus, astronomiæ studium sine annotatione observatorum non potest procedere, ars vero scribendi non nisi Eos in societate ratione utentium , & cogentibus societate vitæ necessitatibus , inveniri potuit ; neque vivere. magis ars fabrorum aut fusoria ; sequitur ex eo ( quod supra dicebam ) & societates coli apud Planetarum indigenas, ac mutuas operas eos inter se præstare ; adeoque hac parte similitudinem magnam ibi esse nostratum rerum. Quamobrem & certas stabilesque sedes potius quam ambulatoriam vitam iis convenire dicendum est. Quid igitur ? an & cætera sociali vitæ propria habebunt ? leges, Magistratus, teæta, urbes, mercaturas aut rerum permutationes ? Certè eqvidem apud Barbaros Americæ & insularum populos , cum primum ad eos perventum est , eadem hæc ferè jam in usu erant. At non propterea negaverim aliter ista in Planetis cæteris se habere posse quam apud nos ; cum ex iis quædam sint quæ abesse queant à societate animalium ratione præditorum ; eoqve tantum excogitata , ne ratione male utamur & cum aliorum injuria, itaque societas solvatur. Possunt enim in aliis istis globis in ea rerum abundantia versari , ut nihil alieni appetant,

petant, rapiantve. Possunt ea esse æqvitate, ut pacem perpetuo colant, nec sibi invicem insidientur, aut mortem inferant; imò ut ne-  
que oderint nec irascantur; qvod si esset, multo qvàm nos feliciores putandi sint. Sed verisimilius est, ut qvemadmodum apud nos, sic ibi qvoqve bonis mala, sapientiæ stultitia, paci bellum misceatur, nec desit egestas artium magistra. Qvia & ex his utilitatem aliqnam proficiisci antea ostendimus; &, si nulla esset, tamen nec præferendi res illo-  
rum rebus nostris causam habemus.

Qvod autem nunc dicam, audacius, scio, Collo-  
videbitur; nec tamen probabilitate caret. qviorum  
Nempe, si in societate (qvod jam penè ob-  
tinuimus) vivant gentes Planetarum; etiam, jucundi-  
præter commoda inde provenientia, volu-  
ptate aliqva tali eas affici, qvali nos, ex con-  
gressibus colloqviisqve amicorum, amori-  
bus, jocis, spectaculis. Hoc, inqvam pro-  
babile est, qvia si nihil horum Planeticolis  
concedamus, sed semper eos seriò, ac sine o-  
mni hilaritate, aut animi remissione agere  
putemus; ingens vitæ condimentum, qvo-  
qve vix illa carere posfit, iis adempturi si-  
mus, atqve ita nostram hanc beatiorem fa-  
cturi; contra quam ratio postulat.

De reliquis verò occupationibus & stu-  
diis illorum ut porro inquiramus; viden-  
dum est qvænam istorum, præter ea qvæ jam  
diximus, cum nostris aliqnam similitudi-  
nem habere probabile sit. Domos fibi  
eos

eos construere, ideo vel maximè credere libet, qvòd & pluvias in terris illis cadere ostendimus. Seqvebatur enim hoc ex eo, qvod in Jovis Planeta nubium quidam mutabiles tractus cernuntur; vapores, a quāmque haud dubiè continentur: quām aliunde quoqve illic non deesse argumentis adstruebamus. Erunt ergo & imbræ & venti, quia attractum à sole humorem recidere in terram necesse est; & calore soluti vapores ventorum causa sunt; quorum fatus ex illa nubium Jovialium mutabili facie cognoscitur. Domos Adversus hoc ergo, ut noctes tuto & adversus quiete transfigant (habent enim & noctes & pluviam somnum proinde, uti nos) munire se eos, exstruere casasqve actuguria ædificare, aut specus effodere, verisimile est. Atqve eo magis qvod omne genus animalium, apud nos, exceptis piscibus, ad sui tutelam hæc molitur. Cur vero casas & tuguria, & non domos amplas & magnificas Planetarum habitatoribus exstrui credamus, nisi qvod non possumus res nostras non præ omnibus pulchras perfectasqve putare. Qui autem nos? Nempe in globulo illo vitam agentes, qui non decies millesimam partem globorum Saturni aut Jovis æqvæt, si corporum moles inter se conferantur. Nulla eqvidem ratio adferri potest cur non Architecturæ elegantiam, symmetriamqve, æqve cognitam habeant in istis cæterisqve Planetis, ac nos in nostro: neccur non palatia, turres, pyramidesqve alicubi nostris multo

to altiores sumptuosioresque, nec minori concinnitate exaedificant. Cumque multiplex sit hominum in his rebus industria; ut in cædendis lapidibus, coquenda calce & lateribus; cum ferro, plumbo, vitro utantur, atque ad ornatum auro quoque; his omnibus nihilo inferiora illichaberi verisimile est.

Si vero divisa est illis, sicuti nobis, Globi sui superficies, ut pars terram, pars maria continet; uti ex supramemoratis Jovis observationibus colligi potest, quia, nubes vix aliter quam ex maris amplis tractibus enascerentur; permagna ratio est ut & navigare eos putemus. Cum alioqui etiam rem tantam, tamque utilem, nostræ Telluris Globo soli non absque arrogantia ascripturi simus. Præser-tim vero in Jovis Saturnique maribus comoda esset navigatio propter Lunarum plurium utrobique copiam; quarum ductu longitudinum mensuram, quam vocant, quæ nobis non contigit, facile conseqvi possint. Qvod si navium usum habent, quam multa præterea habebunt quæ ad eas pertinent; Vela, anchoras, funes, trochleas, gubernacula; & horum usum peculiarem quemadmodum nos; ut vento penè contrario navigetur, in contrarias vero partes eodem vento facillime. Nec fortasse nauticæ pyxidis invento carebunt; siquidem motus materiæ magneticæ, re adeoq; quæ terræ globum continue pervadit, est e-jusmodi quid, ut cæteris quoque planetis con-venire censi possit. Mechanicæ quidem faciunt scien-

scientia, & Astronomiæ, in re naval i neceſſario reqviritur, atqve adeo utriusqve harum magistra Geometria, de qua jam ante aliquid attigimus.

Existimo autem, etiamſi nec ad istas artes nec ad alias quasdam respiciamus, in qvibus vel necessitas vel occasio Geometriæ inveniendæ initium fecerit, non deesse rationes, qvibus verisimile fiat ejus notitiam Planetarum incolis obtigisse. Sive enim cognitionis ipsius pretium ac dignitas spectetur, in qua singularis quidam intelligentiæ est uſus, ac certa indubitata qve veri comprehensio, qvanta in nullis rebus disciplinis ve aliis reperitur: sive qvod est ejusmodi natura sua, ac talia ejus axiomata & effata, ut qvocunqve loco & tempore, aut qvibuscunqve in mundis extet, prorsus eadem ubiqve esse debeat; videtur omnino non solis Telluris nostræ incolis res talis parata aut oblata esse. Quid qvod figuræ Geometricas, velut circulos, triangula, polygona, sphæræ, multis modis natura ipsa oculis objicit, ad variasqve eorum proprietates indagandas quasi invitat; in qvarum contemplatione, etiam extra utilitatem omnem, summa est oblectatio. Qvis enim non admiratur, cum discit ea qvæ de circulo in Elementis Euclideis, & Apollonii locis Planis docentur? aut qvæ de sphæræ superficie & quadratura Parabolæ Archimedes prodidit, aut recentiorum subtilissima inventa? Qvorum omnium eadem, & ad discendum & qve expofita

ut &  
Geome-  
triam.

sita est veritas in Saturno , ac Jove , atque apud nos , & ex iisdem simplicissimis principiis pendens , quo facilius credi potest pulcher- rimi jucundissimi que studii in illis ac cæteris planetis aliquos participes esse : Etsi præcipue hoc suadet utilitas quæ ex eo in omnem vi- tam emanat . Qvod si jam eo usque rei Geo- metricæ peritos qui in Planetis sunt dicerem , ut & Tabulas Sinuum , & Logarithmos , & calculum Analyticum invenerint ; absconsa ac pene ridicula proferre viderer . Nec tamen quidquam obstat quin horum aliquid reperi- se potuerint , aut aliquando reperturi sint ; atque etiam his nostris fortasse majora . Non debemus enim , ut jam sæpediximus , præfer- renos ipsos ac res nostras rebus Planeticola- rum .

Cæterum illud quod uniusmodi & æternum in Geometrica scientia inesse animadvertis- mus , similiter quoque in Harmonicis inveni- ri certum est ; cum consonantiae omnes con- stanti mensura ac proportione constituantur , omnis vero phænorum ordo , omnisque cantus delectatio , etiam vocis singulæ , in consonantiis fundata sit . Quo fit ut apud o- Musicam mnes gentes eadem tonorum intervalla ca- nantur , sive per gradus continuos , sive saltu vox progrediatur . Imo animal quoddam in terris Americæ reperiiri fide digni auctores narrant , quod sex musicos tonos deinceps voce exprimat : Ut appareat ipsam naturam immutabili ratione eos præscribere . Qvan- do-

doqvidem igitur qvæ huc spectant, certa qvo-  
qve & unica, & necessaria ratione sese habent,  
verisimile est, non minus qvam Geometriæ,  
etiam Musicæ oblationem ad plures qvam  
ad nos pertinere. Positis enim aliis terris at-  
qve animalibus ratione & auditu pollenti-  
bus, cur tantum his nostris contigisset ea vo-  
luptas, qvæ sola ex sono percipi potest?  
Nescio eqvidem qvatum apud alios valitu-  
rum sit argumentum, qvod hic ab unitate, &  
immutabili natura istarum artium petimus;  
mihi non leve aut contemnendum videtur,  
nec multum ei cedere, qvo in superioribus u-  
sus sum, cum videndi facultatem Planetariis  
animalibus convenire docui.

Porro si tonis harmonicis & cantu dele-  
tentur, vix qvoqve fieri potest qvin & instru-  
menta qvædam musica repererint; qvoniam  
& casu in hñjusmodi inventa incidere contin-  
git: velut chordis valide contentis, aëris so-  
no, cannarum aut cicutarum sibilo. A  
qvibus initiis, sicuti ad testudines, citha-  
ras, tibias, & organa polyplectra nos perve-  
nimus, ita illi qvoqve non minus elegantia  
excogitare potuerint. Sed qvemadmodum  
certi definiti qvelicet sint toni, cantusqve in-  
tervalla, tamen apud diversos populos alium  
atque alim esse canendi morem ac normam  
videmus; ut olim apud Dores, Phrygas, Ly-  
dos; nostra ætate apud Gallos, Italos, Per-  
sas: ita fieri potest ut ab omnibus his longius  
abeat Planetariorum Harmonice, qvamvis  
illo-

Quæ ta-  
men à  
nostra  
diversa  
esse pos-  
set.

illorum auribus gratissima. Cur vero nostra rudiorem opinemur nulla ratio est; neque etiam cur non & chromaticis sonis, & qvibusdam Enarmoniis utantur? cum hemitonio qvoqve natura suppeditet, certique proportionibus definiat. Imo neminius assecuti sint hisce in rebus quam nos, etiam plurium vocum aut chordarum concentus, artificiosaqve permisio, & dissonantium tonorum, & tritoni, & diapente diminutæ usus iis fortasse concedendus sit. Scio vix aliquam verisimilitudinem apud multos hæc habitura, ac minorem etiam, si æqve doctos dicamus in Jove aut Venere incolentes, ac sunt ii qui in Gallia, Italiave plurimum hac arte excellunt. Et tamen fieri potest ut vel illis peritiores sint, ac præcipue in parte Theoretica hujus artis ea perspexerint, quæ apud nostrates hosce parum haec tenus intellecta sunt. Si enim ex nostris Musicis quæras, cur consonantia diapente post aliam similem vitiose ponatur, dicent alii nimiam dulcedinem devitari, quæ ex gratissimæ consonantiæ iteratione nascatur: alii varietatem in harmonicis seqvendam esse. Hæc enim præcipui artis auctores, cumqve iis Cartesius, adferunt. At Jovis aut Veneris Cœlestis incola forsitan veriorem hanc causam sonantia strabit, quod à Diapente ad aliam deinceps pergendo, tale quid fiat, ac si repente toni statum immutemus; cum Diapente, unâ vitiose cum ponatur?

E

cum ponatur?

cum interjecto ditoni sono, ( qvi si defit, mente suppletur ) toni speciem certo constituat : hujusmodi verò subita commutatio auribus meritò injucunda inconditaqve judicetur ; cum etiam in universum ea plerumque durior accidat , ( præterqvam in transitu ) qvæ fit à tribus sonis consonis, ad trium aliorum harmoniam , nullo priorum manente. Sciet etiam ille idem fortasse , qvod nemo adhuc animadvertisit nostrorum hominum ; cur in nullo vocis unius, pluriumve cantu, tonus servari possit in eadem altitudine ac tenore , nisi consonantia intervalla pleraqve ultro , ac nemine advertente , ita temperentur , ut à perfectione summa nonnihil desciscant ? Et cur optimum sit hoc temperamentum in chordarum systemate, cum ex Diapente quarta pars commatis ubiqve deciditur ? Qvod idem , absqve sensibili discrimine effici ex divisione Diapason in partes æquales 31, indeqve Cyclum quendam Harmonicum in se redeuntem existere , non ita pridem ostendimus. Qvod tamen Planetarum incolæ si perspexerunt, etiam Logarithmorum numeri iis noti esse debebunt.

Demonstratio At de Tono vocis temperando qvod distractio xi, probationem habet non difficilem ; qvam tempora- hic adjungimus , qvandoqvidem jam alieno vo- qvid præter somnia nostra venditare cœcis adhi- pimus. Ajo itaqve, si qvis canat deinceps bendi. sonos , qvos Musici notant Literis C, F, D, G, C,

G, C, per intervalla consona, omnino perfecta, alternis voce ascendens descendensque; jam posteriorem hunc sonum C, toto Commate, quod vocant, inferiorem fore C priore, unde cani coepit. Quia nempe ex rationibus intervallorum istorum perfectis, quae sunt 4 ad 3, 5 ad 6, 4 ad 3, 2 ad 3, componitur ratio 160 ad 162, hoc est 80 ad 81, quae est Commatis. Ut proinde, si novies idem hic cantus repetatur, jam propemodum tono majore, cuius ratio 8 ad 9. descendisse vocem, tonoque excidisse oporteat. Hoc verò nequam patitur aurium sensus, sed toni ab initio sumpti meminit, eodemque revertitur. Itaque cogimur, occulto quoddam temperamento uti, intervallaque ista canere imperfecta; ex quo multo minor oritur offensio. Atque hujusmodi moderatione fere ubique cantus indiget; uti colligendis rationibus, quemadmodum hic fecimus, facile cognoscitur. Et haec quidem in gratiam artis illius studiosorum nec Geometriæ rudium exponere placuit. Nunc etsi unde discessimus revertimur.

Diximus de artibus inventisque quibusdam quae nobiscum communia habere Planeticolas verisimile sit; præter quae etiam alia existare illic necesse est, sive ad usus & commoda vitæ facientia sive ad deletionem. Haec vero quam multa sint, quantique facienda, ita optime rationem inibimus, si plurima illa, quae apud nos

E 2 repe-

reperiuntur, recensere & ob oculos ponere libuerit.

Exposui supra animantium fruticum-  
que apud nos genera quæ plurimum inter-  
se figuris differrent: præter quæ, minus dis-  
similium, ingens copia reperiatur: dixique  
nihilo pauciora utriusque generis, ut lon-  
ge diversa, in Planetarum terris exstare pu-  
tandum. Nunc etiam illud videamus, quæ  
utilitas quæve commoda, tum ex anima-  
libus, tum ex herbis arboribusqve ad nos  
perveniant, ac prorsus verisimile existime-  
mus non minora ex iis, quæ illic terrarum  
inveniuntur, ad incolas ipsarum redun-  
dare.

Recen-  
sentur  
commo-  
da quæ  
ad nos  
perve-  
niunt ex  
animali-  
bus, her-  
bis, arbo-  
ribus.

Hic vero operæ pretium est, ut quæ sint di-  
vitiæ nostræ inspiciamus, quæ multæ ma-  
gnæqve sunt. Nam, præterquam quod ali-  
menta nobis arborum fructus herbæqve sup-  
peditent; illæ pomis, nucibus; hæ semini-  
bus, foliis, radicibus; quodqve plurimorum  
ex his in medicina usus est; petitur ex arbo-  
ribus materia qva domos navesqve fabrica-  
mus. Et lino vestes paramus, excogitatis  
nendi & texendi artificiis. Ex cannabe,  
spartove, fila ac funiculos torqvemus; ex  
filis vela ac retia conficimus, ex funiculis  
rudentes & funes anchorarios. Florum  
porro odoribus coloribusqve oblectamur;  
& quamvis sint etiam qui nares offendant,  
& noxiæ quædam herbæ inveniantur, ta-  
men in iis sæpe boni quid delitescit; vel  
for-

fortasse hoc egit natura ut comparatione mali bona magis eminerent : qvod multis in rebus secuta videtur. Qvanta vero ex animalibus est utilitas ? Oves lanam ad vestitum præbent , vaccæ lac ; utræque carnes ad vescendum. Asinis , camelis , eqvis , ad portandas sarcinas utimur. His etiam ut nos vel insensi vehant , vel curribus juncti pertrahant. Ubi egregium illud rotarum inventum occurrit , qvod libenter Planetarum qvoqve habitatoribus adscriberem , cum jam in societate eos vivere & domos ædificare pene evicerim. Utrum vero etiam animalibus pro cibo utantur , an Pythagoræ simile dogma sequantur , non habeo qvod affirmem. Apparet qvidem hoc homini datum esse , ut omnibus iis alatur qvæ vel in terra vel in aquis nascuntur , si qvid nutrimenti contineant ; ut herbis , pomis , laete , ovis , melle , piscibus , volucrum quadrupedumqve plurimorum carnibus. In quo mirum sane videri potest , animal illud rationis compos ita esse comparatum , ut cum multorum aliorum pernicie cæde- que vivat. Nec tamen naturæ præscripto contrarium hoc esse putandum est , cum placuisse ei videamus ut leones , lupi , aliaqve rapacia , pecudes & infirmiora qvælibet pabuli loco habeant : aquilæ columbas leporesqve prædentur : Piscium permulti pisciculos se minores devorent. Qvin & canum varia genera ad venandum nobis lar-

gita est , ut qvæ pedibus nostris perseqvi neqviremus , illorum celeritate ac sagacitate consecveremur. Præter omnem vero istam ex viventibus herbisqve utilitatem , hanc qvoqve delectationem ex iis nos capere voluit rerum conditor , ut varias eorum formas naturasqve & generandi vias contemplaremur ; in qvibus infinita qvædam varietas ac mirabilia multa insunt , qvæ apud naturæ Scriptores celebrantur. Imo in ipsis insectis qvis non miratur apium cellulas hexagonas , aranearum telas ; tum bombycum involucra , ex qvibus incredibili industria delicatissimam vestem conficiimus , eaqve copiâ ut naves totæ ea onerentur. Atqve hæc qvidem de herbarum animaliumqve genere , qvatenus homini prosunt , summatim retulisse sufficiat.

Ex Metallis.

Cogitetur jam porro qvanta sit ejus solertia in reperiendis , effodiendis , explorandis metallis ; itemqve in fundendis , repurgandis , miscendis. Qvanta in tenuandis auri laminis , aut hydrargyro resolvidis , ut parvo impendio , qvæcunque voluerimus , auri splendorem coloremqve induant. Qvam mira ac multiplex sit ferri utilitas ; qvam qvæ ignorarunt nationes , ex omnium fere mechanicarum artium rudes vixerunt , proqve armis , tantum arcus , clavas , fidesqve habuerunt. Nos vero & pulverem ex sulphure & nitro mistum habemus , variosqve ejus usus , qvi an plus jument

vet an noceat merito dubitari potest. Videbatur enim mira ejus vi, simulque artificiosa muniendorum oppidorum arte, certius præsidium inventum esse, quam pri scis temporibus fuerit, adversus hostiles impetus: sed & horum ex eo simul violentiā crevisse videmus, & fortitudini viribusq; in præliis multo minus nunc locum esse quam tunc fuerit. Qvod enim olim Imperator Græcus dixisse fertur, *Periisse Virtutem cum Catapultarum, ac Balistarum inventa exorirentur*, idem nunc majori jure queri possumus; ac maxime Bombis, q;os vocant, repertis; q;os non mœnibus, nec situ oppida arcesve repellere possunt, sed quamvis validæ disjiciuntur, ac solo æquuntur. Ut, vel ob hoc unum, melius homines ejus pulveris invento carituros fuisse dicendum sit. Nec tamen propterea prætereundum fuit in commemorandis nostræ Telluris repertis, cum verisimile sit, etiam in cæteris Planetis, noxia articia quædam cum bonis emersisse.

Auspiciator est aquæ & aëris apud nos Ex aqua usus: quo & navigandi ratio constat, & aëre, vires comparantur, q;ibus, nullo labore nostro, molas machinasque versemus. At hæ quam multiplices, quamque ad varias res adhibentur? Nam & frumenta iis comminuimus, & olea exprimimus, & ligna secamus, & pannos tundendo densamus; & chartis materiam conterimus; quarum alias

E 4 quo-

quoque pulcherrimum est inventum , cum ex vilissimis linteorum scrutis , tam pulchra foliorum candidissimorum copia paretur. His addatur jam præclarum illud typographiæ inventum , cuius opera artes omnes reliquæ , non servantur tantum , sed & comparantur multo qvam ante facilius. Item sculpendi pingendique peritia , à parvis rudibusqve initiis eo progressa , ut nihil elegantius ab hominum ingenio profectum esse videatur. Ponatur & vitri excoqvendi scientia , atqve in tot formas ducendi facilitas. Tum speculorum vitreorum politura , hydrargyrique super ea inductio. Ac præcipue qvoqve vitri usus mirabilis , in pervidenda rerum natura , post telescopii microscopiiqve inventa. Recensentur etiam horologiorum automatōn fabricæ ; aliorum tam exilium , ut gestanti nihil incommodent ; aliorum tam exqvisita æqvalitate tempus metientium , ut nihil supra optari possit , qvibus utrisqve inventa nostra plurimum profuere.

Multa addere possem de multiplici do-  
Ex iis, Etrina & rerum naturæ cognitione qvam  
qvæ no- præter Geometriæ Astronomiæqve scientias  
st̄a æta- consecuti sumus , atqve ea pleraqve nostra  
te inven- ætate : velut de gravitate aëris ac vi qva  
ta sunt. compressus resilit. De singularibus Chy-  
micorum experimentis ; è qvibus liqvores  
inflammabiles , nuperqve ultro lucentes , ac  
levi tractatione ardentes , prodierunt. De-  
fan-

sangvinis circuitu per arterias venasqve,  
qvi antea intelligebatur , nuper verò & o-  
culis usurpari cœpit, adhibito microscopio,  
in piscium qvorundam caudis extremis.  
Item de generatione animalium , qvod in-  
ventum est nulla nisi ex similiūm semine  
nasci ; idqve de herbis qvoqve verum esse.  
**Q**vodqve in semine marium reperiuntur  
animalculorum myriades vivacissimorum ,  
qvæ ipfam animantium sobolem esse ver-  
simillimum sit: res mirabilis, atqve ab omni  
ævo incognita.

Jam verò postqvam hæc omnia accumu- Illa o-  
lavimus Telluris incolarum inventa, pute- mnia ve-  
mus fieri qvidem posse , ut qvædam eorum risimi-  
etiam apud Planetarios extent ; credibile liter non  
tamen esse maximam partem eorum illis extare in  
ignorari. At iis qvæ non habent rependen- sed aliis  
dis æqve multa , pulchraqve & utilia, & ad- æqve di-  
miratione digna iis tributa esse oportet. gnis re-  
Qvanqvam igitur ibi terrarum aliquos ra- pendi.  
tione præditos, & Geometras, & Musicos  
reperiri probabilibus argumentis ostende-  
rimus , & in societate communitateqve vi-  
ventes, & manibus pedibusqve instructos,  
tectisqve & mœnibus munitos : non tamen  
dubitandum est , qvin & formæ, & rerum  
qvas agunt novitate , mirabile supra qvam  
dici possit futurum sit spectaculum , si quis  
Mercurius , aut potens Genius eð nos de-  
ducat. Sed cum ejus itineris conficiendi  
spes omnis adempta fit , id unum tamen,


E 5

qvod

qvod possumus investigare non pigebit ;  
qvalis nempe cœlestium rerum facies seſe  
offerat, in unoqvoqe istorum globorum  
vitam agentibus, cum ad eam hoc qvoqve  
pertineat. Simul verò & de præstantia cu-  
jusqve, tum ob magnitudinem , tum ob  
adjunctum comitum lunarum numerum,  
qvædam scitu digna referemus, ac stellarum  
deniqve inerrantium incredibilem distan-  
tiam nova ratione indagabimus. Sed à lon-  
ga attentaꝝ meditatione requiesceremus  
hic paulum, finemq̄ huic Libro  
imponemus.



CHRI-



CHRISTIANI  
HUGENII  
COSMOTHEOROS,  
SIVE  
DE TERRIS CœLESTIBUS,  
EARUMQUE ORNATU,  
CONJECTURÆ.  
Ad  
CONSTANTINUM HUGENIUM,  
*Fratrem:*

LIBER II.

Cum ante annos complures Librum Athanasii Kircheri, qui Iter Ecstaticum inscribitur, evolverem; in quo de Natura Siderum, rebusque in Planetarum superficie extantibus, differitur; mirabar nihil illic adferri eorum quæ mihi jam ab illo tempore circa hæc, tanquam valde probabilia, occurrebat: sed longè alia tradi, inania pleraque,

raqve, & à ratione aliena. Qvod magis etiam intellexi, cum conscriptis superioribus idem opus denuò percurrerem. Jamqve visum est aliquid esse conjecturas nostras, ac ponderis nonnihil iis accedere, si cum Kircherianis conferantur. Qvod ut judicari possit, utqve appareat qvām de his rebus frustra philosophari conentur, qvi fundamenta unica verisimilitudinis, qvibus usi sumus, rejiciunt; non abs re erit de opere, illo quādam annotasse.

Kircheri  
iter exta-  
ticum e-  
xamina-  
tur.

Is igitur Vir optimus, Genio qvodam duce, per cœli spatia, stellasqve se circumferri fingens, partim ea qvæ ex Astronomorum scriptis hauserat, partim qvæ ipse de Planetarum terris meditatus erat, ac vulgo probari posse putabat, qvasi visa enarrat. Anteqvam verò iter longinquum ingrediatur, hæc duo tanquam certo tenenda statuit sanctitqve; nullum videlicet Telluri motum esse tribuendum; tum nihil in Planetarum globis Deum extare voluisse, qvod vita aut sensu præditum sit, adeoqve nec herbas qvidem. Itaqve, relicto Copernici systemate, Tychonicum sibi qvod sequatur deligit. Sed cum stellas inerrantes pro totidem Solibus habeat, iisqve singulis suos Planetas circumponat; hoc ipso (qvod an senserit nescio) infinita numero jam exoriuntur ei Copernicea systemata. Qvæ qvidem perabsurdè, præter sibi proprios motus, universa circum Tellurem nostram, virgin-

viginti quatuor horis , immanni celeritate converti facit. Cumque horum maximam partem fateatur extra hominum conspectum esse remotam , in hoc quoque incidit incommodum , ut frustra tot Soles lucere dicendi sint , frustraque calorem suum impetriri tot globis Telluri similibus , elementaque eadem , ( ita enim vult ) & cætera omnia habentibus , præter stirpes & animalia . Atque hinc porro ad alia magis absonta delabitur . Nam quia ne Planetarum quidem , qui nostro systemate continentur , alium ullum reperit usum , ad diu explosas Astrologorum ineptias se convertit ; & hoc fine tot tantas que corporum moles conditas esse vult , ut influxu eorum vario , certisque legibus temperato , mundi universitas conservetur , incolumisque perdureat : utque præterea in hominum animos iidem influxus vires suas exerceant . Itaque , in Astrologicæ artis gratiam , in Veneris Planeta jucundam pulchramque rerum faciem sibi oblatam narrat ; cum luce blanda , undis dulciter fluuantibus , odoribus suavissimis , atque undique fulgentibus crystallis . In Jove auras salubres , ac suaveolentes , aquas limpidissimas , terras argentei splendoris . Quid nimicum , ab influxu hujus utriusque sideris , fausta ac salutaria omnia in Terram hominesque deriventur ; ut vel pulchros & amabiles , vel ad prudentiam & gravitatem propensos reddat . In Mercurio nescio quid sere-

serenum vividumque, unde ingenium ac  
solertia nascentibus insinuetur. At in Mar-  
te omnia tetra, exitialia, fastida, piceas  
flamas, fumosque se vidisse memorat. In  
Saturno tristia, horrenda, squalida, caligi-  
nosa; ut ex his Planetis, ( nescio quare A-  
potelesmaticis omnibus invisus ) influxus  
maligni infestique mundo ac mortalibus e-  
veniant; nisi tamen benigniorum illorum  
radiis corrigi ac mitigari eos contingat.  
Hæc nempe & his similia Genio illi cælesti  
comes adhærens discit. Quem & serio re-  
spondere facit cum interrogatur, anne a-  
qvis, quæ in Veneris Planeta fluunt, He-  
bræus aut Paganus quispiam, eo delatus,  
ritè baptizari queat. Eodem quoque docen-  
te Magistro, intelligit cœlum stelliferum non  
esse ex materia solida conflatum, sed liqui-  
dum prorsus, in quo stellæ Solesve innu-  
meri longè latèque spargantur; nusquam al-  
ligati, ( & haec tenus recte ) qui que omnes  
diei spatio vastissimos, ut dixi, circuitus pe-  
ragant. Quo in motu, si talis foret, non  
advertisit quanta vi illi undique diffugituri  
sint, ob motum circularem tam immensæ  
celeritatis. Sed ne sic avolent, inque spa-  
tia infinita recedant, Intelligentiæ motrices,  
credo, impedient. Etenim unicuique stel-  
la fixæ, imo & Planetæ, Intelligentias aut  
Angelos suos adjungit, qui impellant eos,  
cursumque moderentur. In quo Doctorum  
qvorundam turbam seqvitur, qui vanissi-

num

mum Aristotelis commentum inconsideratè , invitaqve ratione , adoptarunt. Istos verò beatos Genios labore tanto Copernicus liberat , solius Terræ inducto motu; cuius sanè necessitatem , vel ex hoc uno, omnes vident , nisi qvi ultrò ; ac volentes , cæxutiunt. Eqvidem cogitavi nonnunquam , meliora à Kirchero exspectari potuisse , si , qvæ sentiebat , liberè exponere auffus fuisset. Sed cum hoc non auderet , ne scio cur non in totum illo argumento abstinerere maluerit ? Sed hunc celeberrimum scriptorem jam omittamus : & , qvandoqvidem nil veriti sumus , conjecturis nostris , spectatores in Planetis ponere , adeamus nunc , uti propositum fuerat , singulos; & qvinam sint annieorum , qvi dies , qvæ deniqve Astronomia , deinceps consideremus.

Itaqve, ut ab intimo , & Soli viciniore incipiam , scimus Mercurium triplo proprius circiter quam Tellurem nostram ad ingens illud sidus accedere. Cui conseqvens est ut triplo qvoqve majus id conspiciant ejus incolæ , ratione diametri , lumen vero & calor tarum in rem ejus sentiant noncuplo quam nos magis sentient . Nobis proinde intolerabilem , qvi que accensurus sit siccetas herbas , fœnum stramenqve , qvalia apud nos crescunt , At nihil impedit ita comparata esse , qvæ ibi vivunt animantia , ut optatam temperiem in ardore illo experiantur. Herbas vero esse ea natura , ut multo magis vim caloris perferant.

Appa-  
rens qua-  
lis sit  
constitu-  
tio Solis  
& Plane-  
tarium in  
Mercurio.

ferant. Nec mirum esset istos Mercurii indigenas putare non ferendo frigore nosurgeri, luceqve frui exigua , qvi tanto longius à Sole absimus. Sicut nos de Saturni colonis facile nobis persuademus. Non deest verò dubitandi ratio , cum à calore vita pendeat, ifqve corpori mentiqve vigorem alacritatemqve præstet ; an non , propter Solis viciniam, Hermopolitæ illi nobis ingenio præstare putandi sint ? Sed qvo minus huic causæ tribuam facit , qvod calidissimas terræ nostræ regiones fortitos, Africæ, Brasiliæqve populos, nec sapientia nec industria æqvare videmus temperatorium tractuum incolas; ut vel ex eo perspicitur , qvod in omnium scientiarum ac fere artium ignorantie versentur : cum nec nauticæ rei , qvi circum littora incolunt , nisi perexiguam notitiam habeant. Nollem qvoqve Jovicis, Saturnicolisqve hebetes , plumbeasqve mentes , intelligentiamve tribuere nostra minorem, propterea qvod tanto longius à Sole remoti vivunt ; cum uterque globus iste tam præstanti sit magnitudine , tantoqve comitatu stipatus feratur. Qualis porro fit Mercurialibus Astronomia , utqve cæteros Planetas certis temporibus Soli oppositos spectent , ex figura systematis , priore libro exposita, perfacile est intelligere. Atqve his oppositionum temporibus Venerem ac Tellurem præcipuo splendore illic effulgere necesse est. Nam cum adeo lucida nobis

bis Venus appareat, qvo tempore tenuem  
nascentis Lunæ faciem refert; oportet eam  
sextuplo aut amplius clariorem cerni, cum  
Soli opponitur, ex Mercurii Globo pleno  
orbe spectatam; & minore qvoque inter-  
vallo distantem: atqve ita tunc non parum  
dispellere nocturnas tenebras gentibus i-  
stis, Lunæ auxilio parentibus. **Qvænam**  
sint deniqve apud eos dierum spatia, & an  
varias anni tempestates experiantur, in-  
comptum est hactenus, qvod ignoretur  
an axem diurnæ conversionis ad orbem,  
qvo circa Solem defertur, obliquum habe-  
at, & qvanto tempore conversio ea pera-  
gatur. Neqve enim dubitari debet de di-  
ebus noctibusqve eorum cum in Tellure,  
Marte, Jove ac Saturno hæc vicissitudo  
certò cognoscatur. Anni verò spatium vix  
qvartam partem nostri æquare illic constat.

In Veneris globo positis, eadem fere Qualis in  
in cœlo apparere necesse est qvæ de Mer- Veneris.  
curio diximus, nisi qvod hunc nunquam  
videt Soli oppositum, cum non nisi 38 cir-  
citer gradibus ab eo recedat. Sol verò illis  
major apparet qvam nobis, diametro ses-  
cupla, orbe plus qvam duplo; qvo & bis  
tantum caloris lucisqve præbere eum opor-  
tet. Itaqve proprius ad nostræ temperiem  
Tellus ista accedit. At annus mensibus  
nostris septem cum dimidio fere finitur.  
Noctu verò globus hic noster, in locis Soli  
oppositis, multo lucidior Veneri apparet  
**F** **debet**

debet qvām unqvam nobis appareat Venus; & tunc Lunam qvoqve, perpetuum comitem nostrum, facile conspiciunt, si modo oculos habent nostris non imbecilliores. Sæpe autem in Venere miratus sum, cum tubis longioribus, pedum 45, aut 60, eam inspicere Terræ propinquam; Lunæque semiplenæ similem, aut jam in cornua curvari incipienti; prorsus æqvabili splendore superficiem ejus perfundi: ut vix dicere audeam, aliquid maculæ simile, in ea me animadvertisse; cujusmodi in Jove & Marte manifestè notantur, licet orbe multò minore sese offerentibus. Si enim maria, ac terras habet Veneris globus, obscuriores nobis maris tractus conspici deberent; terrarum verò clariores; sicuti ex præaltis rupibus inspectum desuper mare, non perinde, ac adjacentes terræ, lucidum apparet. Credebam nimium Veneris fulgorem in causa esse, quo minus diversitas lucis animadverti posset. Sed cum fumo infecisset vitrum oculo proximum, ad auferendam partem radiorum, nihilominus æqualis in tota superficie lux visa est. An igitur nulla ibi maria, an Solis lucem magis qvam apud nos aqvæ, aut minus terræ repercutiunt? an potius, (qvod credibilius mihi videtur) densior ibi, qvam in Jove aut Marte, Vaporum regio à Sole illustrata, Venerisque globum circundans, omnem fere illam qvam videmus lucem ad nos remittit, vixqve subiecto-

jectorum sibi marium terrarumq; discriminē percipi sinit? Nam certum est nostram, qvoq; atmosphāram, si Tellurem procul intueri daretur, plurimum obstituram luce sua, qvō minus terræ marisq; tam diversa claritas apparere posset, quam qvæ cernitū ex edito scopulo despiciēti. Eadem ratione qva Lunæ qvoq; maculas interdiu minus aperte quam noctu animadverti sīnunt vapores iudem, qvoniam tunc qvoq; inter illam oculosq; nostros interpositi, Solisq; luce illustres, visui officiunt: noctu non item.

At in Marte reliqvis disci partibus obſ. In Marte curiores, ut jam dixi, maculæ notantur. Ex qvarum recursibus pridem fuit observatum dies noctesq; illic iisdem fere qvibus apud nos intervallis reverti. Hyemem vero & statemq; exiguo discrimine incolæ sentiunt, eo qvod axis diurnæ conversio-  
nis paulum duntaxat ad orbitam Planetæ inclinatur, ut ex motu macularum intelle-  
ctum est. Qui autem ex globo illo Tel-  
lurem nostram intuentur, eodem modo  
fere, ac Venus nobis, apparere iis debet,  
formasq; lunaribus similes ostendere, si  
telescopio spectetur; nec ultra gradus 48°  
Sole evagari; in cuius disco etiam conspic  
qvandoq; possit, uti & Veneris Mercuri-  
rii qve corpuscula. Et hoc quidem nun-  
quam alias; Venus raro iis apparere debet,  
uti nobis Mercurius. Terræ vero solum

F

in

In Marte nigriore materia constare verisimile est, qvam in Jove, aut etiam Luna nostra; eoqve fieri ut rubicundior Mars spectetur, nec, pro ratione intervalli quo à Sole abest, lucem remittat. Minor verò est globus ejus qvam stellæ Veneris, licet à Sole longius distans, ut jam supra animadvertisimus. Nec Lunam habet ullam cometem; atqve in eo Telluri nostræ, qvemadmodum & Venus & Mercurius, dignitate impar videtur. Lux vero Solis, calorique, Marticolis duplo atqve interdum triplo qvam nobis minor sentitur; nullo tamen, ut credimus, ipsorum incommodo.

Qvod si Tellus hæc, propter adjunctam Jovem & ei Lunam, præstare cæteris Planetis, qvos Sæurnū huc usqve percurri, dicenda est; nam magnitudine nec cedit iis multum, nec superat; qvantopere & his tribus, & Telluri i-longe præstare, pñi, anteponenda erunt sidera Jovis & Satur-tam ma-ni. In qvibus five globorum molem con-gnitudi-sideremus longissimè omnium istorum cor-ne, qvam pñcula excedentem; five Lunarum qvi-Lunarū bus ambiuntur multitudinem, prorsus veri-multipitu-simile fit has duas primarias habendas esse dñe.

Tellures, inter eas qvæ circa Solem sunt: præ qvibus reliqvæ qvatuor sint minimum quidpiam, ac neqvaqvam cum iis compa-randæ. Qvanta enim fit differentia, qvð re-Fig. 3. Etius animo concipiatur, subjicere hic pla-cuit, secundum proportiones veras, aut non mul-

multum à veris abeuntes , tum Tellurem nostram , cum circumjecta Lunæ orbita, ipsoqve in ea Lunæ globulo ; tum Jovis ac Saturni systemata. Illud qvaternis, hoc qviniis Lunis exornatum ; qvarum qvæqve in sua itidem orbita ponuntur. Joviales Galileo deberi notum est ; qvæ qvanto animi gaudio primum illi animadversæ sint , facile qvivis secum reputet. Saturniarum unanobis obtigit , qvæ cæteris clarior est , & ab extrema proxima. Qvam Anno 1655 telescopio nostro non ultra duodecim pedes longo , primi deprehendimus. Reliqvæ diligentissimis Dominici Cassini observationibus patuerunt , vitreis orbibus utenti à Jos. Campano expolitis , primùm 36 pedum ; deinde totidem supra centenos. Tertiam enim qvintamqve vidimus Anno 1672, ipso monstrante Cassino , & postea sæpius. Primam , cum secunda , fibi repertas significavit, missis literis, Anno 1684. Hæ vero difficillimè cernuntur, certoqve affirmare neqveo mihi conspectas hactenus. Nec propterea qvidqvam vereor Clarissimo Viro fidem habere , atqve has qvoqve Saturno socias adscribere. Imo præter harum numerum alias qvoqve , vel unam vel plures , latere suspicari licet ; nec deest ratio. Cum enim inter extremas duas , spatiū amplius pateat qvām pro distantiis cæterarum ; posset hoc insidere sextus satelles : vel etiam , ultra quintum , alij circumvagari , qvi pro-

pter obscuritatem nondum sint visi; cum  
ille ipse qvintus, tantum in orbitæ suæ par-  
te quæ ad occidentem spectat, cernatur, in  
reliqua nunquam appareat; cuius rei cau-  
sam fatis intellectu facilem postea adfere-  
mus.

Fortasse autem, ubi ad signa Borea Sa-  
turnus revertetur, altèque supra horizon-  
tem attolletur, (nam, quo tempore hæc  
scribimus, maximè deprimitur) aliquid cir-  
ca hæc novi observare continget, si quis  
tuas tunc lentes, Frater optime, ad Tele-  
scopia pedum 170. & 210. paratas, sideribus  
applicet: quibus maiores, formæque perfe-  
ctioris, nullas hactenus extare arbitror.  
Quanquam enim cœlo nondum eas admo-  
vimus, vel propter moliendi difficultatem,  
vel quod discessus tuus studia hæc nostra  
conatusque interrupti: omni tamen vitio  
eas carere certi sumus, post experimenta il-  
la faciliora, quæ in ambulacris suburbanis  
sub noctem instituebamus; inspectis pro-  
cul literis, quibus appositum erat lumen.  
Qvorum equidem lubens reminiscor, simul-  
que jucundi laboris nostri, quem, in elabo-  
randis expoliendisque vitreis hujusmodi di-  
scis, impendere unà solebamus; excogitatis  
novis artificiis machinisque, semperque ul-  
teriora agitantes. Sed redeo ad diagram-  
mata ante descripta, de quibus aliqua dicen-  
da supererant.

Feci in iis Jovialis globi diametrum  
dua-

duarum circiter tertiarum ejus distantiae quæ  
inter nos nostramque Lunam interjacet; Propor-  
quandoquidem plus quam vices diamet-  
rum Terræ diameter Jovis continet; Luna <sup>metro-</sup>  
autem distat à Terra diametris hujus tri-<sup>rūm tūm</sup>  
ginta. Orbitam verò comitis Jovis extremi <sup>Jovis,</sup> <sup>tūm or-</sup>  
ad nostræ Lunæ orbitam posui sicut  $8\frac{1}{2}$  ad 1, bitarum  
quoniam ejusmodi inter eas proportio <sup>satellitū</sup> re,  
ipsa reperitur. Et hi quidem comites, sive <sup>eius, ad</sup> orbitam  
Lunæ singulæ, non videntur Tellure no- <sup>Lunæ</sup>  
stra minores esse, ut ex umbris earum in <sup>circa Ter-</sup>  
Jovis disco saepe observatis, probari potest. ram.  
Sunt autem (ut hoc quoque addamus) pe-  
riodorum tempora sub Ecliptica, apud Cas- <sup>Tempo-</sup>  
finum, intimi Jovialium dies 1, horæ 18, 28', <sup>ra perio-</sup>  
36''. Secundi dies 3, horæ 13. 13'. 52''. Ter- <sup>dorum</sup>  
tii dies 7, horæ 3. 59. 40'. Quarti dies 16, <sup>comitum</sup> <sup>Jovialiū.</sup>  
horæ 18. 5. 6''. Distantia à centro Jovis,  
comitis intimi  $2\frac{5}{6}$ . Jovis diametrorum. Se-  
cundi  $4\frac{1}{2}$ . Tertii  $7\frac{1}{6}$ . Quarti  $12\frac{2}{3}$ . In Sa-  
turniis periodica tempora, intimi, dies 1,  
horæ 21, 18, 31''. Secundi dies 2, horæ 17,  
41', 27''. Tertii dies 4, horæ 13. 47', 16''.  
Quarti dies 15, horæ 22, 41', 11''. Quinti  
dies 79, horæ 7, 53'. 57''. Distantia à cen-  
tro Saturni, diametris Annuli dimensæ, Co-  
mitis intimi,  $\frac{32}{40}$ . Secundi  $1\frac{1}{4}$ . Tertii  $1\frac{3}{4}$ .  
Quarti 4, quæ mihi erat  $3\frac{1}{2}$ . Quinti 12.  
omnia magnis laboribus vigiliisque re-  
perta.

Ecquis jam systemata hæc inspiciens,  
atque inter se conferens, non stupet ad ma-

F 4 gnitu-

gnitudinem , ingentemque paratum duorum præ exiguo tenuique Telluris nostræ ? aut cui nunc in mentem venire potest in hac una Solem ambientium , omnem ornatum , omnia animalia , omnes qui cœlestia mirentur inveniri ; in illis verò nihil impo- suisse rerum conditorem ; nec alio fine tam vastas corporum moles creasse , qvam ut lucem eorum nos homunculi intuere- mur , cursumque forsitan inqvireremus ?

Credo eqvidem futuros qui falsa aut in- certa esse dicant , qvæ de magnitudine cœle- stium spatiiorum nobis hic sumuntur. Scio enim qvam difficulter quisquam adducatur , qui orbis Terrarum spatia mirari assueverit , inque eo tot populos , urbes , imperia ; ut a- libi existare credat , quorum collatione hoc totum tam sit exiguum qvam hæ figuræ de- monstrant. Atqvi ex summorum hujus æ- tatis Astronomorum scriptis ea haufimus , ex qvibus istæ systematum inter se rationes conseqvantur. Si enim Terra à Sole decem vel undecim mille diametris suis distat , ut Casfinus in Gallia , apud Anglos Flamstedius colligunt , parallaxium in Marte subtilis- simis observationibus usi ; cum nos quoqve probabili conjectura , duodecim mille dia- metros invenerimus ; erunt & istæ orbium magnitudines inter se ferè qvales hic descri- psimus.

Sed de Jove dicere pergamus , ex qvo Sol spectatus diametrum quintuplo qvam apud nos

De hac  
propor-  
tione  
magni-  
tudinis  
constare  
ex recen-  
tiorum  
observa-  
tionibus.

nos minorem habet; ut proinde lucis calo- Quænam  
risqve illic pars tantum vigesima qvinta sen- sit Solis  
tiri possit. Sed ea lux neqvaquam debili<sup>s</sup> apparen<sup>s</sup>  
putanda est, idqve ostendit insignis Jovis magni-  
per noctem claritas. Tum qvod in Solis tudo &  
Eclipsibus qvæ nobis contingunt, etiam si ve, & qu<sup>i</sup> cognosci  
nec vigesima qvinta pars disci ejus supersit, qucat.  
ut me videre memini, non admodum senti-  
atur obscuratio. Si vero experimunto in-  
qvirere libeat qvanta sit illa in Jove Solis  
lux, sumatur tubus certæ longitudinis, if-  
qve parte altera obturetur, impositâ lame-  
lâ in cuius medio foramen sit rotundum, ea  
latitudine qvæ ad tubi longitudinem se ha-  
beat ut subtensa 6 scrupulorum primorum  
ad radium, hoc est fere ut 1 ad 570. Dein-  
de ad Solem tubus obvertatur, radiiqve ejus  
per foramen ingressi excipientur parte oppo-  
sita, in chartæ candidæ folium; nec aliunde  
eo lux incidere poscit. Hi radii imaginem  
Soli<sup>s</sup> circulo referent, cujus claritas erit ea-  
dem qvæ serenis diebus percipitur à Jovis  
incolis. Remotâ autem chartâ, si eodem  
loco oculus ponatur, videbit hic Solem ea  
magnitudine ac splendore, qvi in Jovis glo-  
bo consistenti appareret.

Qvod si in eodem tubo foramen duplo an- Itidem in  
gustiori diametro statuatur, incidet in char- Saturne.  
tam, aut in oculum, lux ejusmodi qualis ad  
Saturnicolas pervenit. Qvæ cum centesima  
tantum pars sit nostræ qvam a Sole accipi-  
mus, tamen per tenebras noctis Satur-

num satis lucidum nobis ostendit. In utroque vero Planetarum istorum, si nubilos quandoque dies habent, malignam tunc lucem esse oportet', si nostris oculis judicanda sit; at illorum habitatoribus talem haud dubie, ut nihil de tenuitate ejus querantur. Sicut in noctuis, vespertilionibusqve utilior gratiorque est crepusculi lux, aut quæ in ipsa nocte relinquitur, quam quæ diei tempore aërem terramque illustrat.

**In Jove** In Jove porro dierum spatia, quinque tantas dies esse tum horas nostrates æquare', ac noctes tantas horarum tandem', admiratione non caret, propter quinque. tantam illius globi præ nostro magnitudinem. Et ex hoc nimis intelligitur natum haudquam ea in re servasse rationem quæ est secundum globorum molem, aut eorum distantiam à Sole; cum etiam in Marte dies sint fere nostris pares. At in annorum longitudine, hoc est, tempore circuitus circa Solem, certam omnino distantiarum, quibus ab illo Planetæ absunt, rationem habuit. Sunt enim ut harum cubi, ita quadra temporum periodicorum, ut primus ad vertit Keplerus. Idque in comitibus Jovis & Saturni eodem modo se habere inventum est. Cum itaque anni & dierum tempora in perpetuo Jove à nostris multum diversa sunt, tum dies tuum & hoc nomine etiam differunt, quod eadem quinque diuum.

semper sint longitudine. Perpetuo enim illic fruuntur æquinoctio, quoniam axem motus diurni Jupiter rectum ferme habet

ad

ad planum itineris sui circa Solem , nec ut Tellus obliquum ; ut telescopiorum observationibus constat. Frigidiores autem & ibi sunt regiones quæ polis viciniores propter radiorum Solis obliquitatem ; at longas noctes non patiuntur , sicut quæ sunt prope polos Terræ ; sed tenebras lucesque habent , ut dixi , horarum quinque , ubique & semper . Ac nobis quidem haud sanè placeret tanta dierum brevitas , meliusque nobiscum agi putamus quod plus quam duplo longioribus utimur . Nulla tamen ratione , nisi quoniam potiora ducere solemus ea quibus assuevimus .

Planetarum unum Saturnum ex Jove vident ; cum cæteri nimium Soli vicini sint ; ipseque Mars ab eo non ultra 18 gr. digrediat. Ex quaternis vero quas habent Lunis , quin multò plus commodi capiant , quam nos ex unica nostra , negare non possumus , vel eo solo quod perrard illunes noctes experiantur . Si verò & maria sua navigant , de quo supra dictum fuit , egregiè cursus regere earum auxilio possunt . Ut præteream spectaculi jucunditatem ex variis earum conjunctionibus , Eclipsibusque , quas quotidie intuentur .

Eadem porro commoda ac spectacula , immo etiam majora , Saturnicolis evenire necesse est , cum ob quinque Lunarum numerum , tum ob mirabiles Annuli aspectus , nocte dieque iis obversantes . Sed totam eorum

Astro-

Astronomiam, sicut in cæteris fecimus Planeti-  
tis, exponere oportet.

**Planeti-** Atque hic primum illud annotabimus,  
**colis stel-** quod de omnibus dici poterat, sed hic magis  
**las fixas** mirandum est, stellas inerrantes è Saturno  
**codice mo-** iisdem planè figuris, eademque luminis di-  
**do appa-** versitate distinctas, atque apud nos spectari:  
**rere, ac** idque ob immanem earum distantiam, de  
**nobis.** qva postea dicetur. Ad quam nempe illa,  
quam viginti quinque annis globus à tormento  
emissus pervaderet, per exigua censenda  
sit.

Eadem igitur signa Orionis, Ursæ, Leonis, & reliqua, Astronomi illic contemplantur; at non circum eosdem polos ac nobis sese convertentia, sed qui unicuique Planetæ diversas cœli partes obtineant.

**Qualis sit** \* Sicut autem Jovis in colis solus Saturnus è **Planeta-** primariis Planetis cernitur, ita Saturnicolis **rum a-** solus spectatur Jupiter; qui idem illis est **spectus,** quod nobis Venus, nec nisi 37 circiter grad. **dierum** à Sole recedit. **Quantam** verò habeant die-  
**ratio in** Saturno. rum longitudinem, certò cognosci nequit.

Sed, ex comitis intimi distantia ac periodo, ex que eorum comparatione cum intimo Jovialium, verisimile fit non longiores esse dies illas quam fint in Jove; quas decem horarum esse diximus, aut paulo minus. Sed, cum hæc qualiter in lucem ac tenebras dividantur, Saturnicolæ insignem inæqualitatem atque etiam majorem quam nos perpetuantur, manusque etiam æstatis & hyemis discrimen;

pro-

propter inclinationem axis globi Saturnii ad planum orbitæ suæ, qvæ est partium 31; cum noster Terræ axis tantum 23 & dimidiæ obliquitatem habeat. Hæc eadem declinatio in Saturno, Lunas ejus longè evagari facit à Solis via, vel qvam pro hac illi habent: at qve etiam causa est, cur nunquam Lunas suas pleno orbe lucentes conspiciant, nisi æquinoctiorum tempore; qvæ triginta annis nostris bis ibi contingunt. Idem deniqve axis positus phænomena varia, ac mirabilia, Planetæ ejus incolis præbet; qvæ ut intelligi possint, totius Saturni cum Annulo figuram hic rursus describemus: in qua, sicut jam olim definivimus, cum mirum hunc fornicem è tenebris primùm erueremus, inter diametros annuli globi qve ea erit ratio, qvæ 9 ad 4. Vacuumqve spatum inter utrumqve interjetum, eandem qvam annulus latitudinem habebit. Crassitudinem autem hujus exiguam esse, observationes comprobant, qvæ tam ratione diametri, non nimia erit, etiam si sexcenta millaria Germanica efficere putetur.

Sit igitur secundum hæc Saturni globus Fig. 4. cujus poli A, B. Annuli diameter GN, oblique inspecti, ita ut Ellipsin angustiorem circumferentia sua referat. Sunt igitur circa polos utrosqve portiones superficie, arcubus Qualis CAD, EBF, 54 partium, definitæ, qvas sit Annulus qui incolunt (nisi frigus forsan inhabitabiles reddit) nunquam Annulum conspicere possint.

sint. Ex reliqua omni superficie vident eum annis continuis quatuordecim, mensibus novem: quod est ipsis anni spatium dimidium. Altero dimidio absconditur. Quocirca qui habitant in zona amplissima inter circulum polarem CD, & TV, æquatori annuloque subjacentem, quandiu superficiem annuli ipsis obversam Sol illuminat, vident media nocte portionem ejus KGL, arcus lucidi forma, qui utrimque ab horizonte exsurgit, sed medius interrupitur umbra globi Saturni partem GH tegente plerumque ad extremum usque marginem. Post medium verò noctem umbra eadem paulatim in partem dextram movetur, spectatori in hemisphæriō boreo agenti; in sinistram verò, si in opposito versetur. Evanescitque matutino tempore, manente tamen arcus specie, quem tota die cernere possint, sed tenuius luctentem quam nobis Luna nostra interdiu conspicitur. Siqvidem sua illis est atmosphæra, sive aer a Sole splendescens, ut probabile esse superius ostendimus. Nam si nihil tale haberent, non aliter interdiu quam noctu & annulum & Lunas suas, stellasque inerrantes lucere viderent. Annuli porro spectaculum, hoc quoque pulchrius esse oportet, quod eum in se se converti, ex maculis quibusdam; aut inæquali splendore animadvertisunt. Neque enim ex tanta propinquitate hoc notari non potest, cum vel è Tellure nostra inæqualis claritas, in superficie annuli,

annuli, appareat; quæ limbo exteriore, quam interiore, minor est. Simul autem, dum globi umbra in Annuli partem GH projicitur, etiam annuli umbra obscurat globi partem circa PF, quæ alioqui Solis luce fruatur. Ut proinde semper Zona quædam sit PYEF, nunc latior, nunc angustior, cuius incolæ multo tempore conspectu Solis, annuli que simul, priventur; qui tunc quoque stellarum partem aliquam illis aufert. Qvod certè miraculi instar videri necesse est; intercepto Sole, in profundam noctem incidentibus; nec quid eam efficiat videntibus. Quo tempore Lunarum solo lumine se solantur. Altera anni parte dimidia, cum oppositam annuli superficiem Sol illustrat, eodem modo, luce fruitur hemisphærium TBV, quo prius TAV; & hoc vicissim tunc longas illas eclipses patitur. Sola æquinoctiorum sunt tempora, Sole in ipsum productum annuli planum incidente, cum lumine destitutus vix Saturnicolis apparere potest; quando nec nostris percipitur dioptris. Tenerite nimirum Saturno, ex Sole viso, gradum Virginis, aut Piscium, vicecum primum cum dimidio; quemadmodum in Saturnio sistente olim exposuimus. Ubi ratio quoque redditur eorum, quos diximus, exortuum Solis super Annuli planum, toto Saturnii anni decursu.

Apposui in schemate hoc, juxta Saturnum, Terræ, Lunæque globos, servata magna-

gnitudinum vera ratione; ut rursus intelligatur, quam exigua sit habitatio nostra, ad Saturni sphæram annulumque collata; quod continue cogitationi infixum habere expedat. Imaginem vero Saturniæ noctis, geminis annuli lucentis arcubus adversis, & quinque Lunis ornatæ, sibi quisque formare ex jam dictis poterit. Et de primi quidem ordinis Planetis, hæc fere erant quæ dicenda habebam.

Supereft ut de Lunis quoque Saturno ac Jovi additis, ac precipue de nostra, quæramus, tam quæ ad phænomena astronomica attinent, quam quæ ad ornatum in earum superficie reperiendum, ac præsertim an aliquem esse probabile sit? qvod haetenus facere distulimus.

*De Luna* AC videtur quidem, cum tam propinquiora quus nobis sit Lunæ globus; telescopioque conjici utentibus multa particulatim confacienda posse. præbeat; plura quoque ac probabiliora de universa natura ejus, quam de Planetarum cæterorum conjici posse, tanto quippe remotionum. Sed contra evenit ut vix quidquam de Lunæ rebus dicendum reperiam, nimirum quia ejus generis Planetam nullum coram intueri contigit; cum in primariis illis aliter hoc sepe habeat. Sunt enim, ut jam satis constat, generis ejusdem ac Tellus nostra, in qua, quid rerum geratur, quidve existet, propè intuemur, eoque de cæteris similia quædam conjectandi ratio suppetit.

Illud

Illud vero sine omni dubitatione statuere, Satelli-  
possumus, ejusdem naturæ, ac Luna nostra tum Sa-  
esse illas, qvæ Jovem ac Saturnum comitari turni &  
dictæ sunt, siqvidem eodem prorsus modo Jovis  
primarios hosce Planetas circumeunt, simul eandam  
que cum illis circum Solem feruntur, perin- ac Lunæ  
de accum Tellure Luna. Sed & aliam utro- ratio-  
biqve similitudinem intercedere postea vide- nem esse.  
bimus. Qvamobrem si quid de Lunæ statu  
conjicere possumus, ( possumus autem pauca  
admodum ) idem in quatuor illis circa Jo-  
vem, & in quinque Saturniis haud multo ali-  
ter se habere putandum erit. Illud semper  
menti infixum tenendo, non esse illas vilio-  
res aut minore ornatæ excutas.

Illud igitur in Luna nostra apparet, etiam Lunam  
minoribus perspicillis trium quatuorve pe- monti-  
dum longitudine, plurimis montium tracti- bus &  
bus, rursusque planis vallibus latisimis, su- vallibus  
perficiem ejus divisam esse. Cernuntur enim distin-  
montium umbræ ea parte quam à Sole aver- ctam esse  
sam habent; ac freqventer jugo in circulum  
fere composto inclusæ valles quædam mino-  
res animadvertuntur; quarum medio monti-  
culi, unus pluresve rursum eminent. Ex  
qua vallium rotunditate argumentum sume-  
bat Keplerus, Lunicolarum, cum ratione  
operantium, immensas has esse molitiones.  
Sed hoc incredibile prorsus, tum ob nimiam  
earum magnitudinem; tum quod facile natu-  
ralibus causis cavitates ejusmodi orbiculares  
formari possint. Marium vero similitudi- Carere  
nem illic nullam, ( et si & ille, & alii pler- veroma-  
ri,  
que

G

que

qve omnes contra sentiunt) reperio. Nam regiones planæ ingentes, qvæ montosis multo obscuriores sunt; qvasqve vulgo pro mari bus haber video, & oceanorum nominibus insigniri; in his ipsis, longiori telescopio inspectis, cavitates exiguae inesse comperio rotundas, umbris intus cadentibus; qvod maris superficie convenire nequit: tum ipsi campi illi latiores non prorsus æqvabilem superficiem præferunt, cum diligentius eas intuemur. Qvocirca maria esse non possunt, sed materia constare debent minus candidante, qvam qvæ est in partibus asperioribus: in qvibus rursus qvædam vividiori lumine cæteris præcellunt. Nulli quoqve fluvii in Luna inesse videntur. Non enim effugerent aciem perspicillorum nostrorum; saltem si inter montes aut ripas præaltas, ut nostri plerique, laberentur. Sed neqve nubes ullæ sunt unde pluviæ generentur ad suppeditandum fluvii humorem. Si enim essent, videremus eas nunc has nunc illas Lunæ regiones obtegere, ac visui nostro subducere, qvod neqvaqvam contingit, sed perpetua apparel serenitas.

Aëre & aqua. Porro nec aëre aut atmosphæra Lunam cingi, qvalis circum Tellurem hanc ambit, manifestum est. Qvia si qva talis existeret, non posset extrema Lunæ ora tam præcise circumscripta spectari, qvam subeunte stella aliquæ sæpe animadversa est; sed evanida qvadam luce, ac velut lanugine finiretur, ut omittam vapores atmosphæræ nostræ maximam

Fluviis,

Nubi-  
bus,Aëre  
aqva.

mam partem ex aquæ particulis constare; ac proinde, ubi nulla sunt maria aut fluvii, non esse unde eorum copia sursum educatur. Hæc igitur insignis differentia quæ Lunam inter Terramque nostram reperitur, omnem fere aditum conjecturis obstruit. Nam si maria amnesque inesse cernerentur, haud leve argumentum esset cæterum quoque Terræ ornatum ei convenire, veramque adeo esse Xenophanis opinionem, qui habitari in Luna dicebat, eamque Terram esse multarum urbium & montium. Nunc vero in solo arido, & omnis aquæ experite, non videntur neque herbæ, neque animantia existare posse, cum omnibus istis humor materiam & alimenta praestare debeat.

Anne igitur credendum, tantæ magnitudinis globum in hoc conditum esse, ut noctu nobis lucem tenuem largiatur, aut æstus marinæ cieat? Nemo erit qui pulcherrimo inde spectaculo fruatur Telluris nostræ in se revolutione, & nunc cum Europa Africam, nunc Asia, nunc Americam ostentantis; nunc plene, nunc dimidio orbe lucentis? Omnes item <sup>Hinc de stirpibus incertiorim conjectu-</sup> ram esse. quæ Jovem ac Saturnum circumstant Lunæ, æquè inutiles vacuæque ferentur? Non habeo eqvidem quod dicam, cum nulla ab re simili conjectura suppetat. Magis tamen probabile videtur ob corporum præstantiam, aliqvid in superficie eorum geri, aliqvid crescere ac vivere, qualemque tandem id sit, & quantumlibet à rebus nostris diversum. Posset forsitan stirpium animaliumque ibi vitam aliud

G 2 quid,

qvid, aquæ nostræ dissimile, sustentare. Posset exiguum humor in terra, non æque ac nostra, aquam combibente, sufficere radiis Solis, unde rorem educerent, alendis herbis arboribusq; idoneum. Qvod idem Plutarcho in mentem venisse video in eo qvi de Facie in orbe Lunæ est dialogo. Nam neq; apud nos, nisi summa maris superficie, ac tenui veluti pellicula opus esset, ad humorem terris, satisq; suppeditandum, qvem Solis vis elicuisse, qviq; in rorem tantum, non vero in nubes condensaretur. Sed hæ admodum leves sunt conjecturæ aut suspiciones potius, nec aliud habemus ex qvo de Lunæ nostræ, atq; etiam reliqvarum natura aliquid colligamus. Omnium enim, uti diximus, eadem putanda est; idq; præter adductam superius rationem, etiam hac alia confirmatur, qvod sicuti Luna nostra eandem perpetuò faciem ad nos obversam habet, ita & illæ Joviales ac Saturniæ ad suos Planetas primarios. Mirum videatur hoc sciri potuisse; at non erat difficilis conjectura, postqvam, ut paulo ante dixi, animadversum fuit extremam Saturniarum tunc solum conspici, cum Planetæ huic metæ ob- ad occidentem posita est; ab oriente vero semper a latere. Facile enim perspicitur id inde evenire, qvod magna sui parte obscuriorum superficiem habeat hæc Luna; qvæ pars obscurior cum ad nos conversa est, tunc certi neq; veat præ luminis tenuitate. Cumq; semper in orbitæ suæ latere qvod orientem spectat obscurata reperiatur, in altero nunquam,

Jovis ac  
Saturni  
Lunas,  
non se-  
cūs ac  
nostram  
Telluri,  
eandem  
partem  
suo Pla-

netæ ob-

ad occidentem posita est;

ab oriente vero sem-

per a latere.

Facile enim perspicitur id inde evenire, qvod magna sui parte obscuriorum superficiem habeat hæc Luna; qvæ pars obscurior cum ad nos conversa est, tunc certi neq; veat præ luminis tenuitate. Cumq; semper in orbitæ suæ latere qvod orientem spectat obscurata reperiatur, in altero nunquam,

quam, manifestum indicium est eandem globuli regionem semper Saturnum respicere, quoniam ex eo illud contingere necesse est. Qvis vero jam dubitet, cum & illius omnium remotissimæ & nostræ Lunæ facies semper eadem ex primario Planeta suo spectetur, quin idem in cæteris, quæ circa Jovem ac Saturnum volvuntur, natura effecerit? Causa vero quare id fiat vix aliunde peti potest, quam quod densior ponderosiorque materia sit Lunarum omnium parte ea, quâ semper à Planetis suis aversæ sunt. Sic enim ea ipsa pars majore vi à centro circuitus recedere contendent: cum alioqui, ex motus legibus, eadem semper facies non ad Planetam, sed ad fixas stellas easdem, continue obverti debuerit.

Porro ex hoc positu Lunarum ad Planetas suos mira quædam spectacula evenire necesse est eas habitantibus, qui an sint aliqui, ut jam apparuit, multo incertissimum est; sed quasi essent ponantur. Satis erit autem de nostræ Lunæ in-  
digenis dixisse. His igitur sic in colis si duo hemisphæria globus ejus dividitur, ut qui qui fint,  
alterum incolunt, semper Telluris nostræ qualis conspectu fruantur, qui reliquum, semper eo tura sit careant. Nisi quod quidam, circa confinia u- cœlorum triusque agentes, amittant eum per vices ac recuperent. Cernunt autem Gæoscopi illi constitu-  
Tellurem in æthere pendentem multo majo- rum ra-  
rem quam quanta nobis Luna apparet, qui p-  
e fere quadruplo ampliore diametro. Sed illud mirabile, quod nocte dieque eodem cœli loco velut immobilem perpetuo hærere  
G 3 vident

vident; alii recta supra caput defixam, alii certa altitudine ab horizonte distantem, quidam & in ipso horizonte sitam: atque interea convertentem se circum axem suum, regionesque quas continet universas deinceps ostendentem horarum viginti quatuor spatio, atque eas quoque proinde (quod utinam videre licet) quae ad utrumque polum nobis incolis adhuc incognitae manent. Præterea & lumine crescentem eam vident & imminutam menstrua periodo, atque ita per vices plenam, dimidiatam, inque cornua tenuatam, eadem formarum varietate quam Lunæ globus nobis exhibit. Sed lucem à Tellure nostra accipiunt quindecuplo majorem quam nos ab illa. Adeo ut, in hemisphærio meliore, ad nos obverso noctes insigniter claras habeant; nec tamen cum claritate illa ullus ad eos calor manare potest, etsi hoc aliter Keplerio visum est. Sol verò semel illis oritur singulismensibus nostris, semelque occidit, atque itadies noctesque, quindecuplo quam nos longiores habent, at inter se æquales perpetuo æquinoctio. Qua dierum longitudine, quandoquidem non amplius ab illis quam à nobis Sol abest, necesse esset eos, quibus altè supra horizontem ascendit, æstu incommodo torrei, si corpora eorum perinde a nostra affiantur. Ascendit autem maximè iis quicirca confinia hemisphæriorum, quæ diximus, incolunt, qui vero inde procul distant, accirca regiones habitant polis Lunæ suppositas, non magis'ob longos istos dies cale-

calebunt, qvam qvi circa Islandiam aut novam Zemblam æstivo tempore cetos pescantur; qvi persæpe frigora ingentia, ipsius solstitii tempore, ac trium licet mensium diebus, experintur. Sunt autem poli Lunæ, qvos circum stellæ fixæ converti cernuntur in ea habitantibus, neqvaqvam iidem qvi nobis, neqve etiam cum Eclipticæ polis conveniunt, sed his circumferuntur, qvinque gradibus semper distantes, idqve periodo annorum novendecim. Anni autem spatium idem illic qvod nobis; qvod motu fixarum metiuntur ac reversione earum ad Solem. Idqve iis perfacile est, cum diei tempore, non minus qvam noctu, stellas conspicunt, nihil impediente Solis claritate; qvoniam, ut supra ostensum est, nullam vaporum sphæram habent; fine qva & nos interdiu cœlum sideribus plenum spiceremus. Nec vero nubes quoqve ullæ unqvam obstant observantibus, adeo ut cursus Planetarum melius qvam nos investigare possint; sed tamen difficilius multò verum systema reperire. Qvoniam incipientibus stare Terra sua videri debuit, in quo eos longius qvam nos error abduxit.

Hæ omnia vero ad Jovis & Saturni Lunas referuntur, qvibus idem qvod nobis Tellus est, sui sunt primarii Planetæ. Singula autem diei noctisqve spatia simul sumpta, cujusqve Lunæ periodus metitur, qvas supra Lunas annotavimus. Qvo fit ut Saturni qvintam incolentibus, cuius periodus dierum nostrorum erat 80, eveniant sui dies noctesqve no-

stris

*Qvod ad  
Jovis &  
Saturni  
Lunas  
facile  
transfer-  
re est.*

stris quadraginta et quales. Isdem vero, propter Saturni revolutionem tricennalem, fiunt etates hyemesque singulæ annorum nostrorum quindecim. Itaque tum propter tam longa frigora, tamque longos somnos vigiliaeque; etiam si nil aliud esset, plane aliam quam apud nos vitam illic fore manifestum est.

Explicuimus igitur hactenus, quæ ad Planetas primarios secundariosque Solem circumdantes spectant. Hinc vero priusquam ad Solem ipsum & stellas fixas, tertium nempe genus cœlestium corporum, pergamus, operæ pretium videtur, ut magnitudinem, ac magnificentiam totius Solaris mundi, aliquanta ratione, atque evidenter quam hactenus factum sit, exprimamus. Qvod qvidem scheme in foliis hisce descripto haudquaquam possumus, propter parvitatem corporum Planetariorum ad vastissimas orbitas suas collatorum. Sed verbis supplebitur qvod descriptione perfici nequit. Itaque repetitâ figurâ quam superioris libri initio posuimus, cogitetur ei similis ac proportione respondens, sed quæ descripta sit in amplissima politissimaqve area cuiusdam planicie, cuius extremus circulus, Saturni orbem referens, trecentos sexaginta pedes semidiametro contineat. In nem de- cujus deinde circumferentia globus Saturni scriptio. cum suo ponatur Annulo, quantum in figura altera cernitur, ubi Solis Planetarum sunt corpora. Cæterique similiter globi in sua quisque orbita collocentur; inque medio omnium

Fig. 1.

Solaris  
mundi  
secun-  
dum ve-  
ram pro-  
portio-  
nem de-  
scriptio.

Fig. 2.

mnium Sol qva magnitudine ibi designatur, qvatuor nempe pollicum diametro. Ita Telluris circuitus, qvem magnum orbem vocant Astronomi, semidiametrum sortietur pedum triginta & sex. In qvo Tellus ipsa milii granon non major circumferri cogitanda est; ei que comes Luna, vix punctum visibile superans, in circello paulo plus quam duos pollices lato; v. l. in adscripto hic diagrammate. In qvo linea A B circumferentia partem refert ejus, quam diximus, Telluris orbitæ, cuius triginta & sex pedes continet semidiameter. In ea Tellus est circellus C: Lunæ vero circum eam via, circulus D E; in qvo Lunæ corpusculum quale ad D expressum est.

Saturniarum vero Lunarum exterior in circulo feretur cuius semidiameter pollicum 29. Jovialium item exterior in minore aliquanto, cuius semid. poll. 19 $\frac{1}{4}$ .

Sic demum habebitur germanus & omni proportione perfectus solaris Regiæ typus, in qvo jam Tellus duodecim mille diametris suis à Sole aberit. Cujus spatii amplitudo si millarium numero designanda sit, plus quam septemdecim millions, ut vocant, milliarium Germanorum comprehendet. Sed melius fortasse hanc vastitatem animo concipiems, si motus cujusdam celeritate eam metiamur, Hesiodi Poetæ exemplo; qui altitudinem cœli, & Tartari profunditatem æqvæ spatiis definiens, novem dierum noctiumque lapsu, ferream incudem è cœlo dimissam, ad terram decimâ pervenire scripsit; actanto

G 5 qvo-

Fig. 11

qvoqve tempore è Terræ superficie cadentem ad Tartara ferri. Nos vero non incudis lapsum sed continuam potius celeritatem globi ex majore tormento emissi huc adhibebimus; qvem singulis horæ secundis scrupulis, sive arteriæ pulsibus, centum circiter hexapedas confidere experimentis compertum est, qvæ in Balisticis Mersennus commemorat; cum sonus eo tempore ad centenas octogenas extendatur.

Immen-  
sitas in-  
tervallo.  
rum in-  
ter So-  
lem &  
Planetas,  
illustra-  
tur com-  
paratio-  
ne cum  
motu  
globi è  
tormen-  
to emissi.

Aio igitur, si ex Terra ad Solem tanta illa celeritate globus continuè feratur, fere annos 25 esse insumpturum anteqvam iter hoc peragat. Ut proinde à Jove ad Solem 125 annis operatus habeat, à Saturno 250. Et hic qvidem calculus ex mensura Terræ diametri pendet, qui ex probatoriis Gallorum observationibus est hexapedarum Parisiensium 6538594. cum gradus unus circuli maximi efficiat hexapedas 67060. Qvanta itaqve sint istorum orbium spatia, qvamqve exilis, eorum respectu. Etu, Telluris globulus, in qvo tam multa homines molimur, tantum navigamus, tot bella gerimus, ex his intelligitur. Qvod utinam discant cogitentqve Reges & Monarchæ nostri; ut sciant qvantilla in re laborent cum de angulo aliquo terræ occupando totis viribus, magno multorum malo, contendunt. Sed ad nostra revertamur, ac de Sole videamus, cuius jam simul ad Planetas & eorum orbitas magnitudinem ampla illa descriptio, qvam exposuimus, demonstrat.

In hoc igitur ipso Sole non improbabile  
qui-

qvibusdam visum est animalia vivere posse. In Sole  
 Sed cum multo magis etiam, qvam in Lunis, omnem  
 conjectura omnis hic deficiat, nescio qva ra- conje-  
 tione id ita esse opinati sint. Non enim adhuc deficere.  
 planè compertum est, utrum dura an liqvi-  
 da sit vasti illius globi materies ; et si propter  
 lucis naturam , qvam aliàs explicui , magis  
 verisimile sit liqidam esse ; qvòd etiam per-  
 fecta rotunditas ejus , lumenque per totam  
 superficiem æqualiter diffusum suadere vide-  
 tur. Nam exigua qvædam in disci circunfe-  
 rentia apparens inæqualitas , qvæ telescopiis,  
 nec tamen semper, cernitur, & ex qva miros  
*undarum fluctus, flamarumque eructationes,*  
 nonnulli sibi singunt, nihil aliud est qvàm va-  
 porum prope Terram nostram tremula agi-  
 tatio, qvæ & stellas noctu scintillare facit.  
 Neqve ego faculas illas, qvas unà cum ma- Facultas  
 culis fere omnes celebrant , unqvam videre Salares  
 potui, et si has sèpius spectaverim ; ac valde incertas  
 dubito an aliquid in Sole , ipso Sole lucidius videri.  
 appareat. Invenio enim, fideliores observa-  
 tiones consulens, non nisi in nubeculis illis  
 subfuscis , qvæ maculas plerumqve circun-  
 dant , aliquando solæ feruntur, puncta qvæ-  
 dam clariora interdum notari , qvæ non mi-  
 rum esset , propter obscuritatis illius vicini-  
 am , splendidiora qvam sint videri. Sum- Propter  
 mun qvidem in Sole calorem , fervoremqve calorem  
 esse, certo credendum est, in quo nihil omni- nulla il-  
 no nostrorum corporum simile vivere possit, corpora  
 aut momento superesse. Itaque aliud genus nostris  
 viventium animo concipiendum esset , lon- sic vivere  
 similia.  
 ge-

geqve ab omni natura eorum qvæ unqvam vidimus, aut cogitavimus, diversum. Qvod fere idem est ac si dicamus nihil hic conjectando nos conseqvi posse. Est qvidem tam præstans, tantæqve molis corpus haud dubiè maxima ratione, ac propter insignem usum aliquem creatum. Sed annon apparet jam abunde utilitas ejus in mirabili illa lucis calorisqve in totum Planetarum circumstantium chorum effusione; ex qva universo animantium generi non vita solum constat, sed & jucunda ut sit efficitur? Idqve non in exiguis solum, qvalis Tellus nostra, sed & in tanto majoribus Jovis & Saturni globis, qvorum non est contemptibilis ad Solem collata magnitudo. Hæc qvidem tanta sunt ut nihil mirum sit eorum gratia duntaxat Solem esse conditum. Nam qvod Keplerus opinabatur, aliud qvoqve illi delegatum esse munus, ut nempe omnium circum ambientium Planetarum motus in suis orbibus incitaret, propria sua circa axem conversione, qvod in Epitome systematis Copernicei multis comprobare conatur, non possum assentiri, propter ea qvæ in sequentibus dicentur.

Stellas fixas totidem esse Soles.

Solem ex stellis inerrantibus unam esse, ante Telescopii inventionem, adversari videbatur Copernici sententiaz; qvia cum stellæ, qvæ dicuntur primæ magnitudinis, censerentur trium scrupulorum diametro, essentqve secundum Cöpernicum tam procul remotæ, ut totus ille Orbis magnus, qvo Terra deferatur, velut puncti instar esset ad sphæram affixarum

xarum comparatus; qvandoqvidem toto anni tempore, etsi locum Terra mutaret, nihil mutari cernerentur stellarum distantiae; seq**ue**-batur singulas earum, qvæ cæteris clariores apparent, majores esse toto illo magni orbis ambitu: qvod absurdum erat. Atqve hoc, ut palmarium contra Copernici doctrinam argumentum, Tycho Braheus objectabat. Sed postqvam radios stellarum nudo visu apparentes, Telescopia sustulerunt; (qvod ita optimè faciunt, si lens oculo proxima flammæ afflatu obscuretur,) atqve ita haud aliter eas ac puncta lucentia spectandas præbuerunt; prorsus sublata qvoqve est ea difficultas, nec qvidqvam jam impedit qvo minus stellæ istæ pro totidem Solibus habeantur. Idqve eo probabilius redditur, qvod constet propria luce sua eas lucere: tanta enim est distantia, ut à Sole illam mutuari nequaquam possint. Singulas vero Sole minores non esse nihil credi vetat, cum ex tam immenso intervallo tam vividum lumen fundant. Hanc itaqve sententiam nunc passim tenent qui Copernici sistema amplectuntur. Qvi recte qvoqve hac statuunt, non in una eademq; superficie hære-<sup>Eas spar-</sup>  
<sup>gi per va-</sup>  
<sup>re stellas istas;</sup> tum qvod nulla ratio hoc sua-<sup>sta cœli</sup>  
<sup>deat,</sup> tum qvod in eandem sphæram Sol,<sup>spatia, &</sup>  
<sup>alias ab</sup>  
<sup>qui earum una est, referri nequeat.</sup> Itaqve aliis, ut verius esse spargi eas per vasta cœli spatia, proximas quantumqve à Terra aut Sole ad proximas a Sole re-<sup>moveri.</sup>  
interjacet, tantum circiter ab his esse ad se-  
quentes, atqve in derursus ad alias, continuo progressu.

Scio

Nec Sol  
em præ  
cæteris  
eminere  
contra  
Keplerū  
notatur.

Scio etiam hic aliud sentire Keplerum, in ea, qvam diximus, Epitome. Qvamqvam enim existimet tota cœli profunditate stellas disseminatas esse, vult tamen Solem hunc nostrum multo amplius spatiū circa se habere, qvæsi sphæram vacuam, supra qvam confertius stellis cœlum incipiat. Putabat enim alioqvi futurum ut paucæ tantum stellæ numerarentur nobis, exqve summa magnitudinis diversitate: nam cum omnium maximæ tam apparet parvæ, ut vix instrumentis possint notari aut mensurari, consequens esse ut quæ duplo aut triplo Sc. distarent longius, duplo & triplo apparet minores, positis æqualibus ipsis veris magnitudinibus; citoque veniatur ad easquæ penitus fiant insensibiles: atque ita paucissimas visum iri stellas, easque in maxima differentia; cum contra amplius qvam mille observentur, nec magnitudine ita multum diversæ. Sed ex his neqvaqvam id qvod ille intendit evincitur; ac præcipue in eo deceptus fuit, qvod non advertit ignium, & flammæ eam esse naturam, ut ex maximis intervallis cerni possint, iisqve unde alia corpora, & qve exiguis angulis comprehensa, prorsus evanescant. Qvod vel lucernæ comprobant, qvæ per urbium nostrarum vicos noctu incenduntur. Qvæ cum ad centenos pedes inter se distent, tamen earum viginti & plures, in continua serie magis magisqve remotas, numerare licet, etsi vicefimæ flammulæ vix 6 secundorum scrupulorum angulo conspiciatur. Idem vero magis fieri necesse est in eximia illa stellarum luce; adeo

adeo ut nihil mirum sit, ad mille aut duo milia earum, oculis notari posse; Telescopiis vero adhibitis, etiam vigecuplo plures deprehendi. Sed suberat ratio, cur Keplerus Solem præ reliquis stellis præcipuum quid habere cuperet; circumque eum esse unicum, in Natura, Planetarum sistema, idque mundi medio situm. Hisce nimirum opus habebat ad confirmandum mysterium Cosmographicum suum, quo certis quibusdam proportionibus respondere volebat Planetarum à Sole distantes diametris sphærarum, quæ corporibus polyedris Euclideis inscribuntur & circumscribuntur singulis. Qvod tum demum verisimile videri poterat, si in mundo universo unus tantum esset circa Solem aberrantium siderum chorus, adeoque & Sol ipse solus sui generis.

Sed mysterium illud totum, si bene perpendatur, somnium quoddam ex Pythagoræ aut Platonis Philosophia enatum esse appareat. Nec proportiones satis quadrant, ut ipse quoque auctor agnoscit; sed, cur hoc ita sit, alias causas plane frivolas comminiscitur. Idem levioribus etiam argumentis probat extremam mundi superficiem, stellas omnes continentem, sphæricæ esse figuræ; ac numerum præterea earum necessariò esse finitum, ex eo quod singularum finita sit magnitudo. Illud vero vanissimum, quod à Sole, ad superficiem cavam sphæræ fixarum, definit spatiū sexies centena millia Terræ diametrorum. Qvoniam scilicet, sicut Solis diameter ad dia-

me-

Nihil  
impedi-  
re, qvo  
minus  
creda-  
mus cir-  
ca unam-  
qvamqve  
ex fixis,  
at cirea  
Solem  
esse Pla-  
netas.

metrum Orbitæ Saturni; qvos inter se esse sta-  
tuit ut ad 2000; ita sit hic diameter ad illum  
sphæræ fixarum interioris; qvod nulla ratione  
nititur. Atqve hæc qvidem Viro summi inge-  
nii, magnoqve Astronomiæ instauratori ex-  
cidisse mirum est. Nos vero unà cum præci-  
puis nostræ ætatis Philosophis, ne dubitemus  
eandem stellarum earum & Solis naturam exi-  
stimare. Ex qvo jam mundi idea multo major  
nascitur, qvam qvæ ex haec tenus traditis per-  
cipiebatur. Quid enim nunc prohibet, qvin  
unamqvaqve ex stellis hisce, sive Solibus,  
haud aliter ac Sol noster, circum se Planetas  
habere putemus, qvæ rursus suis Lunis stipa-  
tæ sint? Imo hoc ita se habere, manifesta ecce  
ratio suadet. Etenim si cogitatione in cœli re-  
gionibus nos ponamus, non minus à Sole,  
qvam fixis stellis, remotos; nihil qvicqva  
discriminis hasce inter atqve illum tunc esse-  
mus animadversuri. Longè enim abest ut cor-  
pora Planetarum, Solem ambientium, con-  
specturi simus, vel ob tenuissimam eorum lu-  
cem, vel qvod universæ, qvibus feruntur, or-  
bitæ in unum idemqve lucidum punctum  
cum Sole confunderentur. Hic igitur positi,  
meritò eandem omnium stellarum rationem  
naturamqve esse existimaremus; & ex una,  
propius inspecta, de cæteris qvoqve judicari  
posse nihil ambigeremus. At nunc Dei beni-  
gnitate, ad unam ex ipsis, Solem videlicet no-  
strum, admoti sumus, ac tam prope acces-  
simus, ut circum eam sex minores globos con-  
verticernamus; & circa horum qvosdam, a-  
lios

lios obire secundarios. Cur itaqve non eo iudicio nunc utamur; ac prorsus verisimile putemus non solam hanc stellam tali comitatu cingi , aut aliquva in re cæteris præminere ? Neqve etiam solam circum axem suum converti; sed potius cæteras omnes eadem hæc similia habete? Ergo hac ratione etiam cuncta illa qvæ in Planetis circum solaribus inesse, ad Terræ nostræ similitudinem differuimus, consentaneum erit, ut ad innumeros Planetas alios, tot mille Solibus additos, æqvè pertinere credamus. Eruntqve & illic stirpes & animalia, atqve etiam ratione instructa, qvæ cœli convexa mirentur , & sidera observent, motusqve eorum intelligent; atqve omnia deniqve habeant, sine qvibūs neqve hæc haberī posse supra ostendimus.

Qvam mirabilis igitur qvamqve stupenda mundi amplitudo & magnificentia jam mente concipienda est. Tot Soles, tot Terræ , atqve harum unaqvæqve tot herbis, arboribus, animalibus, tot maribus, montibusqve exornata. Et erit etiam unde augeatur admiratio, si qvis ea, qvæ de fixarum stellarum distantia & multitudine hisce addimus , perpenderit.

Tantam igitur esse distantiam hanc , ut qvæ Solem Terramqve interjacet, Terræqve diametrorum duodecim millia continet , ei comparata, exilis plane habenda sit, non una ratione constat: atqve hac inter cæteras, qvod si proximæ qvædam inter se stellæ notentur, qvæ claritate plurimum differunt ; velut in media caudæ, (qvæ duplex est) Ursæ majoris,

H

nul-

nulla apparentis intervalli earum mutatio animadvertisit, quocunque anni tempore spe-  
ctatarum; quod tamen fieri necesse esset, propter diversas visus positiones per annui Or-  
bis ambitum, oriaturque parallaxis aliquanta, ut consentaneum est, propior sit stella quæ  
lucidior apparet. Qui autem ante nos definiendi tam vasti spatii rationem inierunt, ni-  
hil certi comprehendere potuerunt, propter  
nimiam observationum necessiarum sub-  
tilitatem, quæque omnem diligentiam supe-  
ret. Itaque mihi unica hæc via superesse visa  
est, quam nunc insistam, quia saltem verisimi-  
le quid in re tam exploratu ardua conseqva-  
mur. Cum ergo stellæ ut jam diximus, totidem  
sint Soles; si earum aliquam Soli æqualem es-  
se sumamus, erit illius tanto major quam So-  
lis distantia, quanto apparens diameter dia-  
meter Solis minor erit. Sed tam exiguae ap-  
parent stellæ, etiam quæ primæ sunt magni-  
tudinis, atque etiam Telescopio spectatæ, ut  
vestigantur veluti puncta lucentia fine visibili latitudine  
di distan- refulgeant. Quo fit ut ejusmodi observatio-  
nibus nulla earum mensura deprehendi pos-  
sum à fit. Cum itaque hac non succederet, tentavi  
quaratione Solis diametrum ita imminuere  
possem ut non majorem lucem quam Sirius,  
aut aliud è clarioribus sideribus, ad oculum  
mitteret. Ergo occlusi rursus, ut supra, tubi  
duodecimpedalis vacui aperturam alteram la-  
mella tenuissima, cuius medio tam exiguum  
effeci foramen, ut Lineæ partem duodecimam  
non superaret, sive pollicis centesimam qua-

Modus  
probabi-  
liter in-  
vestigan-  
di distan-  
tiam fixa-  
rum à  
Sole.

parent stellæ, etiam quæ primæ sunt magni-  
tudinis, atque etiam Telescopio spectatæ, ut  
vestigantur veluti puncta lucentia fine visibili latitudine  
refulgeant. Quo fit ut ejusmodi observatio-  
nibus nulla earum mensura deprehendi pos-  
sum à fit. Cum itaque hac non succederet, tentavi  
quaratione Solis diametrum ita imminuere  
possem ut non majorem lucem quam Sirius,  
aut aliud è clarioribus sideribus, ad oculum  
mitteret. Ergo occlusi rursus, ut supra, tubi  
duodecimpedalis vacui aperturam alteram la-  
mella tenuissima, cuius medio tam exiguum  
effeci foramen, ut Lineæ partem duodecimam  
non superaret, sive pollicis centesimam qua-  
drage-

dragesimam qvartam. Hunc tubum ea parte ad Solem obverti; altera oculo admovi; qvi tunc particulam Solis cernebat, cuius diameter, ad totius diametrum, erat ut 1 ad 182. Sed eam particulam multo clariorem comperiebam, qvam noctu Sirius apparet. Itaque cum longè magis arctandum Solis diametrum viderem, id ita effeci, ut, in perforata ejusmodi lamina, vitreum globulum objicerem minutissimum, pari circiter diametro ac prius illud foramen habebat; quo globulo ad microscopia ante hac usus fueram. Ita per tubum in Solem intuenti, coniecto undique capite, ne quid diei lux turbaret, non minor ejus claritas quam Sirii videbatur. Atqui, ex Dioptrices legibus instituto calculo, siebat jam Solis diameter  $\frac{1}{152}$  ejus particulæ centesimæ octogesimæ secundæ, quam, perforamen exiguum, prius conspexeram. Ductis autem in se  $\frac{1}{152} & \frac{1}{182}$  &  $\frac{1}{27664}$ . Ergo eosq;e contracto Sole, vel eosq;e remoto, (erit enim affectus idem) ut diameter ejus sit  $\frac{1}{27664}$  ejus, quem in cœlo intuemur, superest illi lux quæ Sirii luci non cedat. Solis vero eosq;e remoti distantia erit necessario, ad eam quam nunchabet, ut  $27664$  ad 1: & diameter paulum excedet 4 scr. tertia. Itaque cum æqualis ei Sirius ponatur, sequitur Sirii quoq;e diametrum totidem esse ejusmodi scrupulorum; distantiamq;e itidem, ad eam quæ à Sole absumus, ut  $27664$  ad 1. Qvod quam incredibile sit intervallum, apparebit eadem ratione, quam in æstimanda Solis distantia adhibuimus. Nam si 25. annis,

opus habebat tormenti bellici globus, continua velocitate, qvanta exploditur, incedens ut à Terra ad Solem perveniret; jam numerus 27664 vicies qvinqvies ducendus est, atqve ita fiunt 691600, adeo ut penè septingenta annorum millia insumpturus sit globus, in tanta celeritate sua, priusqva ad proximas stellarum inerrantium perveniat. Atqve ad has stellas serena nocte oculos circumferentes, qvantum horum judicio comprehendere possumus, vix aliquot milliaribus supra verticem eas existare putamus. Qvæsivi vero de proximis tantum. Cæteræ enim cum, ut jam diximus, iis spatiis in ulteriora cœli recedant, ut non minora sint deinceps à propioribus ad sequentes, qvam à Sole ad istas, qvanta immensitas superest! Si enim plures qvam mille, nudo visu notantur; telescopiis verò decuplo aut vigecuplo amplius; qvomodo sciri potest aut definiri, qvanta sit multitudo ulteriorum, qvas neqve hoc auxilio attingere licet: aut qvis numerus nimirum magnus dicendus est, si ad Dei potentiam spectemus? Etenim, sæpè hæc cogitanti mihi, in mentem venit, tantum in primis numerorum exordiis calculos omnes nostros versari. Esse enim in serie eorum infinita, qvi non tantum viginti aut triginta, aut centum, aut mille notis scribantur in progressione nostra denaria; sed qvi tot characteribus constent qvot arenæ grana in tota Telluris mole continerentur. Qvis verò dicere audeat tali numero non maiorem esse multitudinem stellarum inerrantium?

tiū? Nam longè ulterius progressi sunt, qvi infinitam esse dixerunt; ut Veterum aliqui, atqve etiam Jordanus Brunus; qvi pluribus argumentis hoc se evicisse putat, sed, ut mihi videtur, parum firmis. Nec tamen contrarium quoqve perspicuis rationibus probari posse existimo. Illud constat, spatiū naturæ universæ infinitè undiqve protendi; at nihil obstat, qvin, ultra definitam stellarum regionem, res alias innumerā Deus effe-rit, à cogitationibus nostris, &qve, ac sedi- bus, remotas.

Quid si verò nec innumerās qvidem condi- dit, sed ultra eas vacuum reliquit infinitum; ut totum illud, qvod extare voluit, veluti ni- hil sit præ iis qvæ producere ejus omnipoten- tia potuisset? Sed ulteriorem horum inquisi- tionem, totamqve illam de infinito difficilli- mam disputationem perseqvi omitto, ne ad tot maximarum rerum comprehensionem, qvajam defuncti sumus, novus labor accedat. Ea tantūm hic subjungam, ex qvibus, qvæ- nam sit nostra de toto inundi spatio opinio, cognoscatur; qvatenus nempe Solibus seu stellis inerrantibus patet, qvibus sua circum- ponī planetaria systemata, probabile esse an- tea ostendimus.

Existimo itaqve unumquemqve Solem cir-  
cumdari vortice qvodam materiæ celeriter qvemq;  
motæ, sed qvi multum dissimiles sint Carte-  
sianis illis, tum spati ratione, tum motus ge-  
nere, qvo in illis materia agitetur. Ea enim Cartesia-  
apud Cartesium est vorticū amplitudo, ut nis mul-

simili ;  
contra  
qvem  
pluribus  
disputa-  
tur.

qvisque eorum alios se circumfistentes contin-  
gat , occurrens singulis plana superficie , ve-  
luti cum in aqua sapone imbuta bullarum cu-  
mulos pueri inflant : moveri vero universam  
cujusque materiam statuit , in partem eandem  
rotando. Atque hunc motum non parum im-  
pediri oporteret , propter angulosam vorti-  
cum superficiem. Deinde cum sit ejusmodi , ut  
velut circa axem cylindri , materia tota fera-  
tur , exoritur ei postea non exigua difficultas ,  
cum globosam Solis formam ex hoc motu de-  
ducere conatur : frustra prorsus , atque iis ra-  
tionibus , quae incautis aliquid esse videantur ,  
cum reipsa nihil explicitent. Vult praeterea int-  
natare , ac circunferri cum hac materia æthe-  
rea , Planetas ; atque ea ratione videlicet in  
suis orbibus eas retineri , quod non majore vi ,  
quam ipsamet , à centro motus recedere co-  
nentur. Sed hic ex Astronomicis complura  
objiciuntur , de quibus aliqua attigimus in dia-  
triba de causis gravitatis. Ubi & aliam ra-  
tionem exposuimus , quae Planetas intra or-  
bium suorum limites contineret. Ea est gra-  
vitas eorum Solem versus ; quae unde exoria-  
tur ostendimus , quamque eo magis miror  
Cartesium præteriisse , quod de gravitate , qua  
corpora in Terram feruntur , primus solito  
meliora adferre cœpisset. Refert Plutarchus  
in libro supra memorato de Facie in orbe Lu-  
næ , fuisse jam olim qui putarent ideo manere  
Lunam in Orbe suo , quod vis recedendi à Ter-  
ra , ob motum circularem , inhiberetur pari  
vi gravitatis , qua ad Terram accedere cona-  
retur.

retur. Idemque a<sup>r</sup>vo nostro, non de Luna tantum, sed & Planetis cæteris statuit Alphonsus Borellus; ut nempe Primariis eorum gravitas esset Solem versus; Lunis vero ad Terram, Jovem, ac Saturnum, qvos comitantur. Multoqve diligentius subtiliusqve idem nuper explicuit Isacus Neutonus, & qvomo<sup>d</sup>do ex his causis nascantur Planetarum orbes Elliptici, qvos Keplerus excogitaverat; in qvorum foco altero Sol ponitur. Oportet autem, secundum nostram de natura gravium sententiam, qvò Planetæ ad Solem suo pondere inclinent, vorticem turbinemve materiæ cœlestis circa eum converti non totum in easdem partes, sed ita ut variis motibus, iisqve celerrimis in omne latus secundum diversas sui portiones rapiatur, nec tamen dilabi possit, propter circumstantem ætherem, qvi non tali nectam celeri motu agitetur. Hujusmodi vortice gravitatem corporum in Terram, ejusqve effectus omnes explicare conati sumus, in ea, cuius memini, diatriba. Eademque, ut puto, est ratio gravitatis Planetarum Solem versus; & ex his qvoqve tam Terræ nostræ, qvam cæterarum, atqve etiam Solis, rotunditas conseqvitur; qvæ in Cartesiana hypothesi tantum habet incommodi.

Porro & spatia horum vorticum, ut dixi, multo qvam ille contractiora pono. Sic enim fere eos stat uo in vasta cœli profunditate dispersos, qvemadmodum turbines aquæ exiguos, hinc inde in spatio lacu stagnove, baculi agitatione, excitatos, ac magnis interval-

tervallis totisqve stadiis distantes. Et sicuti horum motus neqvaquam ab unis ad alios perveniunt, nec proinde se mutuo impediunt; ita quoqve cœlestium vorticum motus, circum astra aut Soles, se habere existimo.

Itaque neqve alii alios destruere possunt aut absorbere, quemadmodum finxit Cartesius, cum ostendere vellet quomodo stella aut Sol aliquis vertatur in Planetam. Apparet autem, cum haec scriberet, non attendisse eum ad immensam stellarum inter se distantiam; idque vel ex hoc uno, quod, cum primum Cometes aliquis intra vorticem nostrum, cuius centrum Sol occupat, descendit; vult eum nobis visibilem fieri, quod est absurdissimum. Quomodo enim, fidus ejusmodi, quod ex Solis lumine repercuesso tantummodo splendet; ut cum plurimisqve Philosophis ipse statuit; quomodo, inquam, posset conspici à tanto intervallo, quod saltem decies millies contineret illud quod à Terra ad Solem est. Non enim ignorare potest, at vastissimum, circa Solem undique extensum, spatium; cum sciret in Copernici systemate orbem magnum, hoc est, orbitam Terræ, velut punctum esse cum illo comparatum. Sed tota haec de Cometarum, atque etiam de Planetarum, & mundi origine, commentatio apud Cartesium tam levibus rationibus contexta est, ut saepe mirer tantum opera in talibus concinnandis figmentis eum impenderem potuisse. Mihi magnum quid consecuti videbimus, si quemadmodum se habeantres, quæ in natura existant, intellexerimus; à quo longissime etiam nunc absamus. Quomodo autem quæque effectæ fuerint, quodque sint, esse coeperint, id nequaquam humano ingenio exco-gitari, aut conjecturis attingi posse, existimo.

F I N I S.



# INDEX

Rerum & Auctorum in hoc opusculo contentorum & allegatorum.

- A** Eris utilitas 37 —an plura in Planetis singularis reperiantur , & nū dispari rationis vi? 43  
Aēr in Planetis 38 —in Planetis qvibus rebus alantur? 39  
Aēr & aqua non sunt in Luna 98 Animal omne , exceptis piscibus habet suum domicilium 60  
Æstas in Marte 83  
— in Saturno 92 Animalia qvædam ossa extrinsecus habent carnem intrinsecus 56  
Æquinoctium perpetuum in Jove 90 Animal in America sex tonos musicos deinceps exprimens 63  
— fit bis 30 annis in Saturno 93 Animorū diversitas non frustra mortalibus insita 31  
Affectiones animi apud incolas Planetarum à nostris aliquantum diversæ 33  
Altitudo Cœli secundum Hesiodum 105 Anni tempus apud Mercur. & Veneris incolas 81  
Amphilia 26 —spatium Lunæ incolis idem qvod nobis 103  
Animalia non defunt Planetis 18 —Saturninus continet 30. nostros 94  
— similis modus generandi & pascendi qvam apud nos 24 Annuli aspectus in Saturno 93  
— apud nos summa varietas , nec minor in Planetis 28 Apollonius & Archimedes 62  
— qvæ ratione utuntur sunt in Planetis 29 H. 5 Api-

I N D E X

<b>A</b> pium cellulæ	70	Astronomiam vix unus è
<b>A</b> qva omnium rerum o-		millibus amplectitur 51
rigo	21	—colitur fere sola in Eu-
<b>A</b> qvæ à Planetis non ab-		ropa 62
sunt	22	<b>A</b> strologiæ descriptio <i>ibid</i>
—in Planetis an nostris		<b>A</b> strologorum ineptiæ
similes?	23	77
<b>A</b> qvæ & aëris usus	71	<b>A</b> uxilium telescopiorum
<b>A</b> qva & aër non sunt in		9
Luna	98	<b>A</b> utomaton 12
<b>A</b> rchitæ de pulchritudine		<b>A</b> uditus sensus utilissi-
fiderum verba	7	mus 37
<b>A</b> rgumenta num ex simi-		<b>A</b> ves volatu delectan-
litudine rectè petantur?	16	tur 46
<b>A</b> rbores in Planetis	24	<b>B.</b>
<b>A</b> rborum differentiæ	28	<b>B</b> aptismus an pera-
<b>A</b> rtium inventio unde	32	gendus aquis quæ in
<b>A</b> rtificium loqvendi	37	Planetis fluunt? 78
<b>A</b> ttes Mœchanicæ colun-		<b>B</b> estiæ an jucundius vi-
tur apud Planeticolas	48	vant quam homines? 45
<b>A</b> ritmetica	49	—an voluptatibus cor-
<b>A</b> rs scribendi	<i>ibid.</i>	poris affiantur? <i>ibid.</i>
<b>A</b> rchitectura Planeticola-		<b>B</b> ombycum involucra 70
rum	60	<b>B</b> ombis mœnia disjici-
<b>A</b> ranearum telæ	70	untur 71
<b>A</b> ristotelis commentum		<b>B</b> orellus ( <i>Alphonsus</i> ) 119
de Angelis seu intelli-		<b>B</b> rachium 54
gent iis stellarum moto-		<b>B</b> ritannia, an ibi anates in
ribus	78	arboribus crescant? 25
<b>A</b> stro nomia colitur apud		<b>B</b> runus 6 & 138
Planeticolas magis quam		<b>C.</b>
apud nos	47	<b>C</b> Alor Solis noncuplo
modo invante	49	major incolis Mercurii
		quam nobis. 79

# I N D E X

—duplo major incolis Martis	Colloqviorum jucunditas
	59
—incolis grata	Consonantia diapente
Cassinus	cur post aliam similem
Cartesius	vitiosè ponantur? 65
—ejusdem opinio de cometis	Comoda ex animalibus
	herbis, floribus arboribusq; provenientia 68
Campi sunt in planetis qvi pluvia & rore irrigantur.	Cusanus Cardinalis 6
	Cupiditas sciendi non
Canes sagaces	frustra hominū animis
Catapultarum ac Ballistarum inventione periit virtus	infixa 51
Chartopœia	D
Copernici sententia de terra quod sit planeta 5	<b>D</b> eus num creaverit aliqva viventia qvæ his nostris nihil simile habent? 20
—systema expositum 12	Deus omnis generis animantia semel creavit ib.
—doctrinam quæ rationes confirmant 13	Dei providentia & voluntate tellus talis, qvalem cernimus 31
Commutationes anni & temporum unde 13	Demonstratio temperamenti in tono vocis adhibiti 66
Conjecturæ de incolis Planetarum 7	Dialogus ingeniosus de mundorum multitudine 7
—non vanæ et si non certæ 11	Distantia Solis à Terra 13 & 105
—de animantibus & stirpibus in Luna 99	Diatrībe de causis gravium 18
—omnis in Sole deficit 107	Disimilitudo nimia rerum Planetariarū à novis singondis 25
Cometa qvid sit nemo scit 17	
Contemplationis naturæ doctorum & indoctorū 116	

I N D E X

Diversitas formarum	20	Formas rerum qvæ in
Digitorum usus	54	Planetis exstant, imaginando non possumus
Diis cur humana forma tributa	56	asseqvi
Dierum & noctium vices unde	13	27
Dies noctesq <small>p</small> apud inco- las Martis fere iidem qvam apud nos	83	Forma Planeticolarum
—qvothorarum in Jove 90 longiores qvare no- bis placeant? 91 trium mensium	103	nostræ non plane similis
Differentiæ arborum	28	55 humana diis adscri- pta
—herbarum	29	56
Diametrorum proportio- tum Jovis tum orbitarū satellitum ejus ad orbi- tā Lunæ circa terram	87	G.
Disputatio Auctoris con- tra Cartesium de vortice Solis	118	<b>G</b> eometria 49 & 62 —eius dignitas 62
E		Genus humanum an so- lum rationis particeps dicendum 44
<b>E</b> lephantii mirabiliter proboscide utuntur	53	Globosa omnium Plane- tarum corpora 16
Europa fere sola Astro- nomiæ incumbit	51	Globus Planetarum in terram & aquas dividi- tur 61
Euclides	62	Globus tormentarius 106 & 116
F		Globi circa solem sex 112
<b>F</b> abula de Lunæ popu- lis.	7	Gravia ad centrum reci- dunt 17
Figuræ Geometricæ	26	Gradus caloris 41
Fluvii nō sunt in Luna	98	Gustus 38
Formarum diversitas	20	H.
		<b>H</b> Armonia planetico- larum 64
		Hesiodus 105
		Herba in planetis 18
		Herbæ noxiæ quare? 69
		Herbarum mirabilis vari- etas 70
		Hila

I N D E X

- |  |     |   |         |
|--|-----|---|---------|
| Hilaritas condimentum<br>vitæ  | 59  | Incolas qvi tribuerint pla-<br>netis sed nihil præterea<br>inquisiverint.                   | 6       |
| Hominem propter o-<br>mnia condita   | 9   | Incolæ planetarum non<br>habent diversam à no-<br>stra rationem                             | 32      |
| Hominum diligentia<br>modum præscribere  | 10  | —habent sensus à no-<br>stris non diversos  | 34      |
| non licet  |     | —an habeant artes &<br>scientias?   | 44 & 47 |
| Hominibus inest divi-<br>num quoddam   | 30  | Inhabitatores Lunæ à<br>tellure lucem qvindecu-<br>plo majorem accipiunt<br>quam nos à Luna | 102     |
| Hominum malitia  | 31  | —diu stellas non minus<br>conspiciunt quam no-<br>tu  | 103     |
| Horologia  | 72  | Ingenium & intelligen-<br>tia hominum   | 44      |
| Hyems in Marte   | 83  | —ejus excellentia <i>ibid.</i>  |         |
| —Saturno   | 92  | Ingenium melius habent<br>temparatam regionem<br>incolentes, quam cali-<br>dam              | 80      |
| I.   |     |   |         |
| <b>I</b> Gnis an elementum?  | 41  | Intelligentia stellarum<br>motores  | 78      |
| — apud Planetarum<br>incolas <i>ibid.</i> sedes ubi<br>collocanda <i>ibid.</i> quibus<br>modis excitetur | 42  | Islandia  | 103     |
| Utilitas & necessitas  | 42  | Itineris ad planeticas<br>spes omnis adempta  | 73      |
| Immensitas intervallo-<br>rum Solis & planetarum   | 106 | Jupiter habet nubes a-<br>quasq <small>ue</small>   | 23      |
| Inquisitio nimis curiosa<br>an reprehendenda   | 10  | —ejus magnitudo   | 60      |
| Inventio artium unde.  | 32  | Iupiter & Saturnus reli-<br>quias planetis longe præ-<br>sumunt                             |         |
| Inventione Catapulta-<br>rum ac Balistarum per-<br>iit virtus  | 71  |   |         |
| Inventum molæ papyra-<br>ceæ pulcherrimum  | 72  |   |         |
| Inventa nostra ætate <i>ibid.</i><br>—non omnia in planetis<br>extant sed aliis repon-<br>duntur         | 72  |   |         |

I N D E X

stant tam magnitudine  
quam Lunarum multi-  
tudine 84 duæ prima-  
riæ tellurus *ibid.* eorum  
ingens magnitudo 87  
Jupiter habet quatuor Lu-  
nas 85 habet frigidas  
aquaſ *ibid.*

K.

**K**eplerus 6 & 112  
—singularis obſer-  
vatis 14  
Kircheri (*Athanasii*) Li-  
ber qui Iter Ecstaticum  
inscribitur citatur 75  
—examinatur 76

L.

**L**oquendi artificiū 37  
Lunæ 4 in Jove 85  
—qvinque in Saturno *ib.*  
Luna in Saturno ab ex-  
trema proxima nobis  
visibilis *ibid.* de eadem  
conjecturæ 96  
Lunæ quædam latent 85  
Luna montibus & valli-  
bus distinguitur 97  
—caret mari flaviis & nu-  
bibus, it. aëre & aqua 97  
& 98 non habet inhabi-  
tatores, neq; herbas neq;  
plantas 99  
Lunæ Jovis ac Saturni  
eandem partem suo Pla-  
netæ obvertunt quam

noſtræ telluri	100
Lunæ incolis ſi qvi ſint, qvalis apparitura ſit, cœ- lorum constitutio, die- rum ratio &c.	101
Lunæ inhabitatoribus Sol oritur & occidit ſingulis menſibus	102
Lucem qvindecuplo ma- jorem à terra accipiunt inhabitatores Lunæ qvā nos à Luna	102
Lux exigua Solis Saturni inhabitatoribus non in- grata	90
Lux crepusculi grata no- ſtuis & vespertilionib <sup>9</sup> <i>ib.</i>	
M	
<b>M</b> aculæ an in Sole? 07	
-in Jovæ qvid ſint? 22	
-non ſunt in Venere 82	
-in Luna 83	
Magnitudinis Planetarū inter ſe & ad Solem ratio	15
Magnitudo corporum in Planetis exiſtentium ex Planetarū magnitudine non recte conjicitur 42	
Malorum cū bonis mix- tura qvare? 31 & 59	
Malitia hominum 31	
Manus habent Planeti- colæ	52
Ma-	

# I N D E X

<b>M</b> anuum usus	<i>ibid.</i>	<b>O.</b>
<b>M</b> aria an sunt in Venerè?	82	<b>O</b> culorum artificium 34 seq.
<b>M</b> are non est in Luna	99	<b>O</b> doratus 38
<b>M</b> artis qualitas 83 globus mi-		<b>O</b> ptica 50
nor quam Veneris 84 dignita-		<b>O</b> rbis vitreus 36 & 136 pedum 95
te cæteris impar	<i>ibid.</i>	<b>O</b> rnatus qui in Tetra nostra conspicitur à Planetis nō alien?
<b>M</b> ars cur rubicundior spe-		<b>P.</b>
ctetur?	84	<b>P</b> regrinationis utilitas 11
<b>M</b> ateria Solis an dura aut liquida		<b>P</b> hysices studium non impro-
sit non constat	107	bandum 11
<b>M</b> embrorum artificiosa collo-		<b>P</b> lanetarum quorumlibet cursus
catio	55	equo tempore peragatur 13
<b>M</b> ercurii distantia à Sole	67	<b>P</b> lanetarum corpora globosa 16
<b>M</b> ercurialibus qualis Astrono-		<b>P</b> lanetæ solidi an sint & gravi-
mia	80	tate polleant 17
<b>M</b> etalli fossura	70	<b>P</b> laneticolæ habent oculos binos
<b>M</b> icrometron quod vocetur	15	36 oculos erectos 54 an pilis
<b>M</b> icrometris præstant lamellæ		vestiantur aut plumis tegantur
virgulevæ tenues	<i>ibid.</i>	55 nobis vel æquales vel majo-
<b>M</b> odi quibus animalia moventur		res sunt 57 societatem colunt
	26	58 certas stabilesq; sedes ha-
<b>M</b> olarum utilitas	71	bent <i>ibid.</i> colloquiorum ju-
<b>M</b> otus terræ à quibus Astrono-		cunditate fruuntur 59 domos
mis decernatur	14	exstruunt 60 habent noctes &
<b>M</b> ultitudo stellarum fixarum	116	somnium <i>ibid.</i>
<b>M</b> undorum multitudo	7	<b>P</b> lutarchi Dialogus de facie in
<b>M</b> undi Solaris descriptio	104	orbe Lunæ 100 & 118
<b>M</b> ures an crescant ex limo ter-		<b>P</b> luviæ cadunt apud Planetic. 60
ræ?	25	<b>P</b> rofunditas inferni 106
<b>M</b> usica vocalis est apud Planeti-		<b>P</b> ulchritudo Siderum & corpo-
colas 63 instrumentalis 64		ris unde aestimetur? 56
eiusdem oblectatio	<i>ibid.</i>	<b>P</b> ulvis ex sulph. & nitro mistus 70
		<b>P</b> umiliones an sint in Planetis? 43
<b>N.</b>		<b>P</b> yxis nautica 61
<b>N</b> atura sectatur varia-		<b>Q.</b>
tem	20	<b>Q</b> ualitas in Venerè 31
<b>N</b> aturæ præscriptio non contra-		<b>Q</b> --- in Marte 33
rium quod homines animalium		<b>R.</b>
cœde vivant	69	<b>R</b> atio humana præcipue emi-
<b>N</b> avigatio apud planetarum In-		net in contemplatione na-
colas	161	ture 46
<b>N</b> eutonus (Isae)	61	<b>R</b> a-
<b>N</b> ubes unde? 61 in Iove	23	

I N D E X

Rationis usus an in comparan-		Stellæ fixæ habent circa se Plane-
dis necessariis consistat?	45	tas. 112 non haerent in eadem
Regionis siderum natura num-		superficie 109
sciri possit?	61	T.
--potest sciri verisimilibus con-		<b>T</b> actus quo fine molli pelle
jecturis 7		tectis datus 38 -- Sensus
Rotarum inventum apud Plane-		necessarius <i>ibid.</i>
tic. S 69		Telescopium 6 duodecim pedes
<b>S</b> Acris literis an adversentur		longum 85,170 & 210 pedes lon-
conjectura de incolis Plane-		gum 86
tarum?	9	Telescopiorum auxilium 9
Saturnicolarum comoda ac spe-		Tellus hæc sola an sit in quam o-
ctacula 91		mnen ornatum natura contu-
Satellites Saturni & Jovis 97		lerit? 11 -- nostra vix decies mil-
Scientia siderum 50		lesimam partem globorum Sa-
Sensuum usus 39 utilitas & volu-		turni aut Jovis æquat 60
ptas 40 non deest Planetic. <i>ib.</i>		Tellurem planetis & hos Tel-
Sensus virtutis justitiaeque 45		luri rectè assimilari 16
Scientias an sint homini præter		Tellures duæ primariæ 84
naturam?	50 seq.	Tempora periodorum comitura
Scribendi modus apud Sinas 49		Jovialium 87
Mexicanos <i>ib.</i> Peruvianos <i>ib.</i>		Toni musici 66
Simile de vitiosa ædificatione 47		Typographia 72
Sol punctum medium est. 12		U. V.
Solis utilitas 108		<b>V</b> Arietas summa animali-
Sol Planetis multo major 16		um apud nos, nec minor
à Sole splendorem mutuantur		in planetis 28
cæteri Planetæ 16		Ventus ejusque causa 60
Sol incolis in Venere major ap-		Venus curvata in cornua 82
paret quam nobis 81		Virtutes non apparent sine peri-
Solis magnitudo apparet & lux		culis 32
in Jove quænam 89		Visus qualitas mirabilis 35
Solis obscuratio <i>ibid.</i>		Vitia hominum non obstant, quo-
Solis lux centesima parte differt		minus decorum terræ concili-
in Saturno à nostra 89		ent 31
Sol præ cæteris stellis fixis non e-		Ulteriora inquirenda 10
minet 110		Volatu aves delectantur 46
Solem unumquemque vortice		Utilitas & Voluptas sensum 40
cingi 117		Ursæ majoris cauda 113
Speculorum politura 72		<b>Z</b> Embla nova 103
Stella polaris & ejus cursus 14		(o) 69
Stellæ fixæ 92		

Astr 702

